cernit in arctoo prospera fata solo.
Et quamvis meminisse queat, quid liquerit illuc,
quam bene sors niveis fluxerit alba rotis,
teterius tamen hic nihil evenisse fatetur,
quasque reliquit opes, hic quoque cernit opes.
Nostis adhuc (memores nec enim non esse potestis,)
quæ pia mutatæ caussa subinsit humi.
Plena peregrinas visendi copia terras,
quicquid et optati nominis æquor habet,

et decus et studium, cuivis laudabile docto,
quicquid et agnomen prosperitatis habet,
eduxere virum, charos sprevisse Penates,
dicereque: Indigenæ, paullo valete, Lares!
insuper interni per mutua crimina motus
quodque novum semper Mars ferus omen habet.
Adde, quod armato mors conjurata Gradivo
vastet inexplicita mœnia vestra lue.
Hic tutos mihi spero dies, hic faustius ævum
polliceor genio sustinuisse meo.
Allexit cupidam felix occasio mentem,
qua sine nil sapiens, quod bene cedat, agit.
Inter honoratos non ultimus audio patres
et parent magni, me monitore, viri.
Tempus adest. Dubium jamjam sulcabimus æquor,
ibimus in portus, inclyta Riga, tuos.
Russia nos capiet, capiet nos Persis opima,
meta viæ nobis Arctos et Ortus erit.
Quicquid ibi lepidum, præclarum, nobile, doctum,
quodque sua nobis utilitate placet,
tale notatrici mandabimus omne papyro.
Hinc memorem condet dextera gnava librum.
Si pietas nos ire jubet, si faustius omen,
quod pro Christicolis turba profecta sumus,
Jova secundantem prospiret cœlitus auram
et juvet optata posse redire via.
Temporis interea, varias dum versus in oras
dividor a vestro, nomina clara, choro,
este mei solitumque mihi servate favorem
et veterem nobis non removete locum.
Sic pia jurato servent vos fata favore
et fluat in vestras sors cupienda domos.
Deliciæ salvete meæ, Philyrea valete
pulpita, philosophi vivite fauste patres!

*

48 fausta Hs.

12. Propempticum Cl. Oleario scriptum.

1633. Oct. — Nov.

Dum pavet et certæ non est secura salutis
patria, nec miseræ, quod vereatur, abest,
sed sub vicino trepidat male credula Marte,
ah! nimis a fato credula facta suo,
jam, modo quas passa est clades per ferra, per ignes,
torribus et saxis tota sepulta gemit.
Divitiis gemit orba suis, gemit orba decoris
raptaque non una commoda parta die;
solvitur in lacrymas quisquis videt advena flentem.
Et magis hoc, quantum, quod timeatur, habet!
Tu decus Aonidum, patriæ solamen et ultor,
constituis charos deseruisse Lares.
Illa quidem prono tibi porrigit oscula vultu
teque putat madida flectere posse prece.
Et modo bis passæ tristissima fata ruinæ
oggerit et viduam se gemit esse nimis,
et modo, quod superest sævoque remansit ab hoste,
in gremium spondet deposuisse tuum.
Aurea non uno præstat tibi munera censu;
quoque magis moveat, nil nisi blanda refert.
Virgineum jubet ire decus, cui cuncta ligantur,
sed nec eras tali vir retrahendus ope.
Tu mœstæ sua vota negas. Tibi spernimur ultro
nec tua natalis sensa retardat humus.
Ergo sub extremas statuis secedere terras,
quas et opes Oriens et tenet Arctos, adis.
Hic tibi securam speras cum numine vitam
atque negata domi quæris amœna foris.
Eligis ignotas peregrinus abire per oras,
quam toties patriæ cernere fata tuæ.
Ito bonis avibus, melioribus atque redito.
Quique abeuntis erat, sit redeuntis amor.
Sed quoque sit patriæ melius, cui nempe sereni
temporis in reditu pars bona posta tuo est.

13. Ad Legatos Holsatiæ, quum Rigam Livonum appulis

1633. Nov. 22.

Quæ fuit irati sinuosa ferocia ponti,
quum fremerent sociis ventus et unda minis!
Unice millenis tum circumfusa periclis,
una sed et totidem navis habebat opes.
Vos viridis glaucæ vidit pater eminus undæ,
vos, o, queis niveos sors facit alba dies,
vidit, et »Hi, superi, nostris morientur in undis,
qui mihi venturæ caussa salutis erunt?
Non«: ait et valido ter aquas pulsasse tridente
fertur et effrenes increpuisse Notos.
Flamina serviles posuerunt ilicet Euri
et furor insanæ desiit omnis aquæ.
Vivimus et vestra salvi pietate fruemur.
Incolumem per vos se probat esse ratis.
Per terras, comites quid non speremus ituri?
Dant famulas vobis æquor et aura manus.

XXIII. Xbris. MDCXX

14. M. Adamo Oleario, Legationis Secretario V. CL. S.

1634. März 10.

Hactenus immeritas segnes neglеximus artes
et procul a Clariis ivimus hostis aquis.
Spernimus et duro damnamus lumine Pymplam.
Nausea perjuris Aonis unda mera est.
Illud ego quondam sanctis adamabile Musis
nomen et intonsi cura secunda dei,
vix dominas jam nosco meas; vix noscor ab illis;
quod solet a nimia sæpe venire mora.
Ac, licet antiquus redeat sub pectora Phœbus
et fastiditi turba novena jugi,
non primi fervore sumus: tepet ignis amorum,
ceu tegit effœtum pigra favilla focum.

*

17 lies XXII. IXbris.

Non secus artificis post otia tetrica plectri
desuetum rudior psaltria tractat ebur.
Scribimus, at primo vix non arescimus actu,
non fluit ad calamos libera vena suos,
sic ubi muscosi cariosa foramina tubi
obstruit annosus consolidatque situs,
stillantes promuntur aquæ, rumpente canali,
guttatimque cadit, qui fuit ante latex.
Nos iter et duri fastidia tetrica tractus
distulerunt animo non renuente sequi,
donec ab infidis per tesqua Livonica Lettis
cepit in hospitium regia Narva suum.
Vidimus hic tentæ tranquilla per otia vitæ
Ivanogrodeæ nobile robur humi.
Mox, quoties placuit, mirantes inter ocellos
Labile præcipitis nos stitit agmen aquæ,
sique quid hic aliud nostris optabile terris,
quod stupet in longis hospes avarus agris.
Per juga, per saltus, nive tecta per Ingridos arva
venimus in gremium jam, Novogroda, tuum.
Hic ubi transmissis se Volgova corniger undis
in Ladogæum volvit agitque sinum,
stamus et ingratis suscepti civibus ægri
poscimus hei! surdos, agmen herile, deos.
Claudimur et vetita liber non exitus urbe
nec datur in patula, qua libet, ire via.
Suspecti sine fraude sumus. Gens libera servit.
Sic dominos famulis succubuisse scias.
Publica clamosis jaciunt convicia labris.
Durior hospitibus non locus esse potest.
Tu memor optantum, si quid prodesse laboras,
urge viam rupta continuare mora.
Jam vocat hyberni facies aptissima cœli,
vix melius vestrum tempus anhelat iter.
Quod si forte meis aliquid damnabile votis
accidat et sequior vos vetet ire deus,
quam miser et vultu par, sors quos damnat, eodem,
perdidero vitæ tempora fluxa meæ!

Nos corpus sine mente sumus, sine remige cymba,
nostra viget vestra tota salute salus.

X. Mart. MDCXX
Novogardia Narv

15. Garlefum Luders S. salvere jubet.

1634. März 17.

I, liber, et dominam volucri pete remige Moscham,
dum sinit optatum fluxile frigus iter.
I celer et, magni veniens in principis aulam,
dic, ubi sit medici nupera turba chori.
Est ibi, quem seris ardemus amore medullis,
qui solet æquali nos redamare fide.
Non, reor, ignoras dilecti nomen amici,
quod numerat claudo vix elegia pede,
et charo mea verba refer: Dulcissime rerum,
Flemingi mactus vive salute tui!
Ille sed impatiens (nostis, pia numina, vatem,)
quam procul est lateri, dulcis amice, tuo!
Jam redeunt actæ dulcissima tempora vitæ,
quum fluerent pictis prospera fata colis,
quum sibi se totum novus indulgeret amicus,
hei! brevis, at longos res dolitura dies.
Sive comes lateri per amantis mœnia Narvæ,
seu fueram doctæ pars quotacunque domus
et vel inaccessas animis vulgaribus artes
panderet et docti prodigus oris erat,
seu tereti tractaret ebur tornatile scalpro,
quod Polycletus opus dixerit esse suum,
sive verecundus mensam convictor ad unam
falleret hibernum non sine nocte diem,
tunc felix sibi noster erat, tunc risit in horas,
tunc præ se miserum dixerat esse Jovem.
Nunc miser antiqui tantum memorator amoris,
dulce quid ex ipso, dum meditatur, habet.

*

18 lies fuerat?

Sic juvat amissi repetita scientia pulcri.
Est aliquid faustos dicere posse dies.
Est quoque solamen, si quæ, quam perdidit ætas,
audierit de se dicere: Pulcra fuit.
Tu comes egregio per Moscha theatra medenti
nunc potes optati principis ore frui.
Et tuus es simul atque tuæ, quam diligis ut te,
quæ vestro pariles sunt in amore vices.
Illa quidem primas velut ambitiosa columnas
constringunt hederæ brachia lenta meæ,
inter amatrices tibi blanda vocabula nexus
sibilat et longas ducit in ore moras.
Talis in amplexo formosa Neæra Tibullo,
quum peteret Strozzam Cynthia, talis erat.
Utere longævos horis felicibus annos.
Sis tibi, sis dominæ faustus abunde tuæ.
Interea noster, tantos gratatus amores,
vix desiderio non perit usque tui.
Ut stetit, ut voluit vestris comes oribus ire!
Tendit ut ad surdos brachia lenta deos!
Narviades, nostis, si quid meminisse potestis,
et toties tritæ, conscia turba, nives.
Non tamen invisa jam nunc agit hospes in urbe.
Misit eum lento rustica Narva sinu.
Jamque capit Neogradis eum, quo missus ad horas,
jam dominos nimios languet abesse dies.
Hic nova sub veteri tabescunt tædia pica.
Utque magis doleat, se dolor usque novat.
Frangit eum sociæ male cura domestica turbæ,
nam datus est rigido rector adesse gregi.
Scis, reor, ingenium placidis habitabile Musis,
talia quam genio sint aliena suo.
Quid cicur agrestes turtur regat ordine milvos?
Quid domet hostiles debilis agna lupas?
Sic perit ad crebrum surgens Anthora Napellum,
marcet et in densa rara Camilla vepre.
Sic mecum dic fidus agi, sic vivere narra;
sique quod hoc aliud, quod memoretur, erit,

hæc refer, ut facilem moveat compassio mentem,
quoque minus doleam, condoluisse velit,
inque mea nihil esse mihi prece crebrius isto,
quam celer in vultus posse venire suos.
Adde, sit interpres votivæ caussa salutis,
quam famulo toti mittimus ore domo.
Insuper optatum Sperlingi congere nomen,
quem secum parili vivere sorte precor.
Hæc ubi finieris, vultu reverenter abacto
dic ter et hoc nostra non nisi voce: Vale!

Perscriptum d. XVII. Mart.
Novogorodia Moscua

16. Adamo Oleario, V. Ampliss.

1634. März.

Quod si vestra meis quis conferat arbiter illis
plectra, camœnali plectra sonora melo,
Phryx erit ille Mydas, Creta mendacior omni;
vincet et intonsum Pan novus ore deum.
Ne tibi ludibrio, quod abest, videamur haberi,
sis os in laudes parcius, oro, meas.
Noster honoratos Phœbus non ambit amores;
est satis affectu non sine posse legi.
Casta verecundos amicto syndone vultus
velat et immerita laude Thalia rubet.
Adspice, quam passis veniens elegia capillis,
quam petit informi limina vestra pede.
Hic gradus, hi miseri de se testantur amictus,
rustica quam sub se nil, quod ametur, habet.
Non equidem stolido nobis præsumimus ausu,
quod noster vestro certet Apollo deo.
Quid rudis artifici concertet Marsya Phœbo?
Altius humano concinit ore deus.
Est sua vox lituo, sonus est suus acris avenæ,
sed facit ad claras ille nec ille tubas.
Sæpe sub umbrosa prostrati risimus alno,
quum melos impariles concinuistis aves.

Nos, quod in arenti sicco sub sidere prato,
stridet in expressum rauca cicada melos,
tangimus impurum testantia carmina guttur.
Non salit ad latices languida vena tuos.
Tu facis ambrosio perfusum nectare carmen,
tu potes ad sumptam corda movere lyram.
Sed tamen est aliquid, quod condonemus amico;
error et in culpas non cadit ille graves.
Dulcius a charo patiamur nomine laudes
nec sua dilectis gloria rebus abest.
Tu socius densis stabas, festivior ipse,
lusibus et crebri circumiere joci,
cum tibi forte meæ ferrentur in æde salutes,
in salibus medius, cum legerentur, eras.
Excepere leves prælecta vocabula risus.
Laudasti numeros, feste cachinne, meos.
Sic Venus et nitidi de me sensere lepores,
judicium blandus tale ferebat Amor.
Ursit, ut adjiceres studium, Polyhymnia præsens,
et me responso prosequerere tuo.
Calliope calamum, chartam dabat obvia Clio;
inspector digiti Phœbus arantis erat.
Abstulerunt jussæ signatas ocyus auræ.
Advolitent lætæ sic mihi sæpe notæ.
Vive meos inter nomen venerabile fastos,
utque queam salva mente valere, fave!

Ex Russia Narvam.

17. Ad V. N. et Magnificos, Philippum Crusium et Otthonem Brughemanum, quum primo e Ruthenia reversi, Revalia solverent.

1635. Jan. 30.

Inter amatricis votiva vocabula turbæ
et densas, nimius quas vomit ordo preces,

*

34 loci Hs. 47 meas Hs.

itis, o Holsatiæ gemini surgentis ocelli;
vos sequitur duplex, ceu meruistis, honor.
Ipsa, velut tantum sibi pergratata favorem,
ter jacit ad patrium brachia plausa polum,
ter salitet, solvens vocalibus ora cachinnis,
dulce quid in resonas vociferatur aquas.
Prodit amor populi, dux Cymber, et oris amoenus
porrigit ad reduces brachia læta viros
et charis hæc verba refert: »Venistis amati
et bene, quod volui, sustinuistis onus.
Expediistis opus. Meriti damus omen honoris.
Hanc fidei dextram pignus habete meæ.«
Talis ad optantes Jason veniebat amicos,
quum croceum fulvæ vellus haberet ovis.
Sic et ab Oenotriis exceptus patribus Hermes,
qui retulit Latio Pergama victa suo.
Inter honoratos primo super ordine patres
dicitis attonito jura sequenda foro.
Et Themis et Maja genitus, cum fratre decorum,
Jure, student vestris numina tanta bonis.
Itis, amor superum. Ceu, quod superavimus, actum
sic reliquum reduces perficietis iter.

MDCXXXV

18. In nominalem Parentis; Pro filio.

1635. Mai 1.

Si decet et par est, genitor, coluisse parentem
hæredemque suæ non male velle domo,
candidus ingenuos hodie tibi testor honores,
mi pater, et tibi, quæ debeo, vota fero.
Nam quod erat nostris aptum magis usibus isto
tempore, quod studio se probat omne meo,
adspicis, ut tenera redivivus imagine mundus
ludit et in facie signa procantis habet.
Fertilis ætherea lætatur in indole campus,
cespitat in viridi mobile crine nemus,

ingeminant vitreos hiacynthina flumina gestus,
sussilit et madidi muta caterva gregis.
Gramina gramen amat, segetem seges, omnia rident:
nec tamen ad versus hoc facit omne meos.
Illa dies oritur, læti quo conscia partus
mater in humanum te dedit alma genus.
Tunc velut illa tibi risit lætissima nato,
sic tibi nunc natus dulce cachinno patri.
Hinc meret illius jubar imperiale diei,
ut merito dignum te celebremus epo.
Ac quamvis meliore cani virtute merebas
et tibi Pierium conveniebat epos,
quale novem docta recinunt sub rupe sorores,
quum pater Ismarium pollice tentat ebur,
non tamen hæc puerilis inertia carmina plectri
spernere, nam pater es, filius oro, velis.
Quod si prima rudi mihi jam nimis obstitit ætas
et mea possibili vota vigore carent,
nec mihi Castalides faveant, nec dexter Apollo,
nec Charis in versu vivat adulta meo,
tempus erit quondam studiis lætabile nostris,
quod tibi de nobis gaudia mille feret.
Det modo, det superum pater et bonitatis origo,
subscribant voto prospera fata meo.
Unice cunctarum suspiratissime rerum,
o basis, o nostræ certa columna domus,
vive meis, mihi vive diu natumque parenti
sæpius officium solvere tale vide.

19. V. Ampl. Adamo Oleario S. D.

1635. Juni.

Tu frueris dominis gratissimus oribus hospes
et socius lætos vir agis inter heros,
liber, ovans animis, tibi dum novus uritur humor,
atque recens veteri surgit ab igne focus.
Sit fœlix Galemanda sibi, sit in axe beata,
delicias vario scis super orbe novas.

Moscua te vidit, vidit te Narvis amantem,
  Revaliam duplex te super urget amor.
Quid non Riga boni, quid non tentavit honorum,
  ut fieres pulcra virginitate potens.
Nunc tibi Mitavium, Mons nunc tibi Regius instat,
  Dantiscum et celebres, quas colit Hanno, domus.
Seu quam Plissa præit, seu quam rigat Amstelis urbem
  ingrediare, tuum cernis utrimque decus.
Illa quidem veterum si te memor optat amorum,
  hæc magis, ut primum te tueatur, avet,
sis, ubi sis, comitante venis acceptus amore.
  Induit eloquio se Venus ipsa tuo.
Fortunatus agis nec te Rhamnusia fallit,
  dum venit in casses jam nova præda tuos.
Gratulor hunc superum tibi congaudendo favorem
  et bonus in fato sponte quiesco meo.
Sis, quod eras; sis, oro, quod es, quod amavimus in te.
  Perge meis posthac addere rebus opem.
Sic tibi perpetuos sors imperet alba cachinnos
  et cadat ad nutus optio crebra tuos.

MDCXXXV. M. Jun.

20. Super obitu Barbaræ Voigtiæ, V. N. Philippi Crusi Conjugis.

1635.

Flete joci, plorate sales, lacrymate cachinni.
  Tristitiæ facies vestra sit apta novæ.
Barbara, magnifici conjux dulcissima Crusii,
  fertur in Hannoniis occubuisse plagis.
Illa decus generis, sexus rosa, cura mariti,
  et geminæ prolis mater alumna fuit.
Heu! fuit, heu! cecidit properantibus obruta fatis!
  Quam fuit in molles Parca severa colos!
Ite, pharetrigeri per busta jacentis Amores,
  ite, verecundas spargite veris opes.
Dulcis ab eoo circumpluat imber amomo,

halet et Assyrios fusilis urna crocos,
et marmor signate manu, quam tinxerit aurum,
scripta nec in parvas sint mala magna notas:
Barbaris hic tegitur, quæ, quod sonat, hoc fuit uno,
rapta quod hei! propera morte perempta jacet.
Hoc vestri sit honoris opus, sit amoris, Amores,
noster erit viduo dicere blanda, labor.

Nisi. Insigniter. Properas Asta. Sis. Viator. Et. Me. Audi. Sed. Per. Lectionem Hoc. Te. Volunt. Manes Barbaræ Voigtiæ. Domo Matrimonio Crusiæ, Quæ. Dum. Maritus Apud. Moschum. Legatus. Ageret Occubuit Illi. Desiderium Natis. Quos. Duos Diversi Sexus. Reliquit Dolor. Et. Planctus Exuvias. Amicorum. Tumuli Recepere. Philippus. Crusius. Ict. E. Ruthenia. Re. Optime. Gesta. Redux. Conjugi. Nunq. Non. Caræ. Pon. Iuss. Jam. Ad. Persas. Abiens Tantum. Est. Nunc. Quo. Vis. Hospes. Ire. Per. Me. Licet.

MDCXXXV.

21. Nomine alterius In Philippi Crusi, V. N. Natalem.

1636. Mai 1.

Illa dies domino luxit divina Philippo.
Dulcia Pieriæ carmina ferte deæ.
Majus adest, pulcri dux formosissimus anni,
quem Venus et Veneris turba pusilla cupit.
Parturit omnigenas ager inculpabilis herbas,
multus et e picta jam color exit humo.
Mollior in placidas aër exsolvitur auras
et vitreum tepido motat inane flabro.
Rus salit, urbs festo bibulas pede tundit arenas
et domus et domini sunt in amore domus.
Temporis omne tibi, quod habet, debetur amoenum,
magne vir et tanti dignus honoris apex.
Credibile est illum te propter inire nitorem
hocque decus pro te sustinuisse solum.
Lux tua, lux hilaris, festi lux plena cachinni
imperat ingenuis jubila mixta jocis.
Imperat. Imperium nostri quis tale recuset,

qui vocat assiduos in tua vota deos?
Nos quoque, ne meritos tibi non tribuamus honores,
solvimus exiguo debita magna melo.
Quod damus, acceptum sit, ut est, quod vovimus astris
sponte ratum: Fœlix hunc cole sæpe diem!

22. Timotheo Polo Suo S. D.

1636. Mai 30.

Ipse tibi mallem coram quam ferre salutem,
tristis ab Othrysia mittere cogor humo,
Pole, puellaris dignissimus incola Pindi,
qui geris e Clario tinctile fonte caput.
Mens erat excelsæ post visa palatia Moscæ
certus ad Ositios velle redire Lares.
Nec mihi jam redibat iter, sua sive Ruthenus
commoda seu locuples Persa tonaret opes.
Jam quoque, qui patria me primus abegerat ardor,
velle calens alio visere sole solum,
quicquid et insoliti peregre mirantur euntes,
cesserat atque brevi tempore nullus erat.
Temporis observans, quod non revocabile fluxum
præterit, effusum labilis instar aquæ,
dulcius in reditu meliusque quid esse putabam,
quam, mihi de viso quod foret orbe, decus.
Nescio, quæ nostro nimis adversaria voto
in placitum rapuit nos Abeona suum.
Pergo, sed invita, quod negligo numen, Hygeia,
pergo, sed ætatis non sine cæde meæ.
Adde, quod Ascreæ mihi succensere sorores.
Hinc liquet et duro non bene velle mihi.
Scimus hoc hesterni, quum forte sub Aonis antro
spe simul ac omni dejiceremur ope.
Carmina poscebam nostro debentia Polo;
una nec e mihi tot blanda deabus erat.
Quid, quod in innumeras per tristia somnia noctes
pallidus haut vana terruit arte senex!
Hinc pater, hinc soror, hinc cum matre stetistis, amici,

pluraque dicturi, vix monuistis: Abi!
Quicquid erit, quod fata mihi non cognita miscent,
non stat in arbitrio velle redire meo.
Hæc tibi sufficiant fidam dixisse sub aurem,
fidere plura sibi penna licere negat.
Sic abeo. Dulces inter mihi prime sodales,
Pole, per innumeros vive valeque dies!

Moscua Revaliam, propridie Kal. Junias
MDCXXXVI.

23. Ad Amicum, quem læsisse audiverat.

Sim miser et toti damnabile nomen Olympo,
jugiter adversos experiarque deos,
si laudi studiosa tuæ me plectra rotasse
pejero nec sumptam non crepuisse lyram.
Carmen eras nascens dulci sapientius isto,
quicquid Hymetteæ depopulantur aves.
Nescio, quis revolans malus ad præsepia fucus
inficit exstructos felle nocente favos.
Crede mihi, multi de nobis falsa loquuntur,
quoque magis fallunt, hoc magis artis habent.
Candor in hoc toto est res intermortua cœtu,
exsulat a nostra plebe fugata fides.
Cœca per obscuras coëunt mendacia linguas,
cum clandestino fraus it aperta dolo.
Crevimus invidia, furia retinemur eadem.
Gens sumus haut alia dissoluenda manu.
Temporis observans aliquid non credere disce,
neve per insidias decipiare, cave.
Scis, reor, hunc animum nulla tibi fraude notatum.
Deme semel, reliquus vir sine fraude fui.
Cujus ego memor ora tego pudibundus et intus
mordicat unquam odii causa fuisse tui.
Candidus ignosti. Nec enim peccavimus ultro.
Error ab alterius venerat ille malo.
Quis tibi mentitor per inania somnia Morpheus
credula somnifero palmite corda feriit,

aut quæ vana tuam cœpit perversio mentem,
nos tibi sublestam posse fovere fidem?
Si quid amicitiæ tribuis, si vera fatenti,
nec nimis in dubia suspicione vales,
noster eris motamque premes in pectore bilem,
ut nova sub veteri regnet amore charis.

*

32 nava Hs.

S Y L V A R U M

LIBER III,

IN QUO

O D Æ.

Eruditissimo Viro Timotheo Polo P. L. Dexterrimo In Gymnasio Revaliensi Doctori, Desideratissimo Meo, Affectus Reciproci Tesseram Pono
Paulus Flemingus
Variscus.

O D Æ.

1. Epicedion in Jo. He. Scheinium.

1630. Nov. 19.

Ut, quando prester fulgurivit Vejovis,
et fragore nubirumpo
fecit tremere fundo tenus Ceraunia
marmor et pavere salsum,
lapsura pallidis minans viris sola:
sic ego terrore pletus,
quom Bubo clari funerarius necem
Scheinii exclamat lugendam.
Primas lyræ, Madulsa musici chori,
Orpheus nostratis ævi,
gelascis? an clepsammos exerat tuus
glomeris vitæ quod ante
horam, nefariter nimis filum tuæ
Mœra rumpit non movenda.
Mœras Meditrinam, quod ipsa non potis
tam-malo malo mederi.
Vireis oporinum comest tabum tuas
et tibi jam dat fuisse.
Abiturivit spiritus, poli scius,
exhodum nactus cupitam.
Nec post meridiaberis cum conjuge;
divides nec post suave
suavium natis vel unicum tuis;
nec merendabis fideli
cum corte amicum, qui tuam circummeant
ore tecto lacrymantes
amara, tumbam, prodigi hejulatuum;

nec sonare templa suetum
melisma post docebis in laudeis dei,
nec scholæ præsesse caræ
ti post licebit. Heu, jaces virtutium,
funerate, omnium columna!
Sed quod novi? Meremus impiatibus
solda nostris hæc verenda.
Necessibus parere fatis hinc damur,
phtharmatis intoxicati.
Heic haut valet nevelle, quem poscunt manum.
Nos sumus comire tenti.
Hoc tantulum vitæ, quod est nobis, tamen
æviternæ caussa vitæ
quit esse. Nanque simus inpeccabiles,
non perimus, quom perimus.
Lethate, dormi. Plissa noster, donicum
Plissa erit, te non tacebit.
Salve! vale! nos suaveolenti, quam tibi,
qui tui, stiunt, acerræ
hos claudisyllabos jambicos damus
et rotatileis trochæos,
quos juxta lacrymas evaporando dolori fundo.

Paul Fleming Hartenst.

2. In fusum Tillydis exercitum.

1631. Sept. 7.

Quis mugientum fulmine nubium
non usitatus concrepuit fragor?
Quod insolens cœlo tonitru
perfurit et latus icit orbis?
An prava læsus Jupiter ignibus
quassat trisulcis Acroceraunia

*

2. Titel. So im Drucke v. J. 1631. fusum hostilem exercitum ohne im Hs. 1 mugientium Hs.

feralibusve justus armis
sacrilegos domitat Cyclopas?
Quis sic adultam pone meridiem
infuscat auris Ecnephias nigris?
Quis turbo, quis tumultuosus
pulveream quatit Eurus oram?
Quid ille clamor? Quid properantium
istud virorum flumen et influum
flictu reluctanti rotarum
diluvium? Cecidisse tanta
tam præliosi millia Tyllidis
credemus ergo? Credimus; occidit
late paventis terror orbis,
occidit. Opposuere laxa
formidolosi terga Carinthii
versique pronis Illyrici Gothis.
Segnes recesserunt Salassi
et refugi properant Triugri.
Instate, Vindi, pergite, Saxones!
Vibrata flexos plumba petant Styros,
ferratus atque sons merentis
grando caput fodiat Liburni.
Caduca jussis, turba, tonitrua
jactate flammis, ningite spiculis,
rorate gesis, uncinatus
vulnifica pluat imber aura.
O bellicosi martia gens soli,
Germana pubes, jam tua patriis
æquata vexillis tropæa
per duplicem celebrantur orbem.
Resuscitatos cerno Tuisconas
priscosque faustis Arminios globis
bellare; jam sui Nariscæ
Mauritii rediere terræ.

*

17 millia militis Hs. 29 tonitruis Hs. 37 Tuiscones Hs. 38 Armi nius Hs.

3. Ad Joannem Georgium Electorem Saxonicum, cum Tyllicæ copiæ Misniæ finibus ejicerentur.

1631. Sept.

Magne dux, magno sociate regi,
Saxo, perjuro metuendus orbi
ultor et late simulantis horror
panicus ævi.
Namque victrices Bona Caussa lauros
ante prostratum religavit hostem
et tui vindex tibi destinavit
gratia recti.
Sume debentem tibi, sume frondem
ac triumfali meritos racemo
impedi crines et honora lætus
imbibe verba.
Ut tuæ testes animositatis
efferi late cecidere Carni,
ut Sclavi tristes et inefficaci
robore Tungri!
Sensit ultorem Charitinus ensem
et levis sero sibi digna Vilzus
fata, cristatus luit insolentes
Dalmata fastus.
Perge solantem cohibere Martem,
præque-datricis domitare turbas.
Perge! Conceptis tibi gratulatur
Misnia votis.
Te bonæ fœlix sociata sorti
faustitas albis sequitur quadrigis.
Prona te flexis reducem coronat
gloria palmis.
Pone victores saliunt triumfi
et gravis densis spoliis juventus;

*

3. Titel. .. Electorem, Patriæ Patrem cum hosticæ copiæ .. Hs. 5 laurus Hs. 15 Slavi Hs. 30 tenso spolio Hs.

pone vocali strepitant remista
gaudia risu.
Jam redit nudi soror æqua justi,
candor et passis amor unus alis
et fides et pax et opima promo
copia cornu.

4. Laudes Gustavi Adolphi Magni, Sueonum R

1631. Sept.

Et o caduci gloria sæculi,
Gustave, regum maxime, maxime,
Gustave, victorum, o frementis
terrificus domitator ævi
et grandis horror, te gelidus Tyras
et hirta Colchi litora Phasidis,
te cana Vistulæ nivosi
ora tremunt Hypanisque fauces.
Victoriosas poplitibus minor
suras Gelonus lambit et efferus
Moschus catenatique vinctis
Sauromatæ sinuantur ulnis.
Jam noster adstas. Non tibi Teutonis
bulimus auri, non Alemannici
siticulosus æris ardor
lucrificas stimulat medullas.
Non ampliandi blandiloquentula
prurigo regni, non rigidis honor
mercandus armis, non cruentis
gloria concilianda pugnis
huc te citavit. Te superum favor
tandemque lenis supplicibus Tonans
votis refulciit cadivo
subsidium columenque mundo.
Te curva duris religio jugis
fatale vicit, quo caperes sagum.

*

4. Titel: L. G. Adolphi Christianissimi Regis Suecorum etc.
19 mercatus Hs.

Suspirioso ignota folle
lassa fides tibi cadit arma.
Quem cura sacræ provocat infulæ,
is scuta fausto sumserit omine,
late renitentumque certa
robora contuderit sarissa.
Quam gestienti sussiliit pede
Saxo Visurgis, quam placidus Suevus!
Quam fautor enari volenteis
disposuit tibi Mœnus undas!
Tibi severi Nerëus Albidis
iri paratum supposuit latus,
tibi verecundi supina
detumuere fluenta Salæ.
Jam gloriosis densus honoribus
vindex Lutheri diceris ordinis,
pronis salutarisque palmis
Teutoniæ tibi liberatæ
assertor ingens. Te niveis vehit
orbi loquendum fama jugalibus.
Gadesque Seresque et remoti
te per aprica fremunt Sicani.
Tantam severis intimat accolis
bellator undis Mosa crepacibus
adoream ridetque victum
duplicibus titulis Iberum.
Jam ter mitrati te vada Tibridis
et rauca sacri littora Numici
Almoque Sarnusque et fluenta
Euganei trepidant Timavi.
Insiste, victor! Te cupidus tui
suspirat Osus, te veteres Quadi
et obvii crebris anhelant
Lutiburi Lygiique votis.
Flexis amicum fluctibus annuit
potator Olæ, dum refluus pavet

*

59 ebrii Hs.

prætervolutis Oenus undis
et Savus et tremebundus Ellus.

5. Ad D. Pacem, pro Misnia, quum ejus incolæ, a turmis hosticis magnam partem dispulsi, post profligatum Tyllidem quisque ad sua redirent.

1631. Sept.

Diva, pacato dominata cœlo,
Albidos tractus et aprica Muldæ
rura digneris facilis benigno
visere vultu.
Te repercussæ modulantur auræ,
pensiles te zinzilulant cavernæ,
te boat jacchans casa, te sonorum
balat ovile.
Te, pater, faustum meditatus omen,
heic diu seram jubeat morari
et revertenti placidum colono
commodet ævum.

6. Godofredo Guilielmio libertatem commendat.

1632. Juni 26.

Nunquam tam varium garrierit melos
angustis merula clausa cavernulis
captivæve, sonos æmula liberæ,
vox auditur aëdonis.
Dum risu simulat dulcia musico
et gavisa cavis saltat in angulis,
impostura rudi blanditiis hero,
pronam dissimulat fugam.
Quod si cauta parum lex aviarii
per rimas tenuem suaserit exitum,
pennarum volucri remige se potens
servis eximit e clathris

*

64 Hellus Hs. 5. Titel. .. profligatum militem .. Hs. 6 zinzinulant Dr. Hs.

et mox ad patrium læta volans nemus,
se consanguineo restituit gregi
et late dominum concinit aërem
et vernas nemorum Lareis.
Libertatis amor cuncta fovet suæ.
Est in pulvereis vis ea vermibus.
Indignans tenebris impedientibus
ægre musca recesserit.
Evulsum patria vidimus area,
ut moly vitrico marcuerit solo.
Nec trunco viduæ transitus esculo
corni fructificat stolo.
Nunquam, quod leve sit, miscueris gravi.
Sic et congenerem cuncta petunt locum.
Par nubit simili, nec quadruplex suo
hosti caussa migrat loco.
Guttam gutta capit, flamma coit foco.
Regnator dominas ignis amat domos,
hic pendere vagis æs grave nubibus
vano nititur impetu.
Quo natura sua quodque trahit manu,
huc promptum sequitur. Celsa sublimibus,
imis ima patent, cerea mollibus
et duro rigidum favet.
Sustentat sibi jus quodque domesticum
nec paret peregre nec bene habet foris.
Materno revalet compositum sinu,
quod distabuit extere.
Tu post sollicitæ fata Silesiæ
turbantis recolis culmen Ositiæ
mercatorque senis rauca Coi quatis
doctæ pulpita Lipsiæ.
Nec te patritia posthabitum plaga
submovere suis fata periculis,
nec te Pierium protinus advenam
arrisit Clarius Pater.
O quam dura novi conditio viri,
qui se Castalio consociat gregi,

imberbis juvenis, serus amor patris,
matris cordolium grave!
Hunc a se petulans turba studentium
tricarum vario spernit acumine;
fastidita velut noctua plumeo
est sacrum generi scelus.
Pudendæ tibi nunc prætereunt vices
infamesque dies, annuus et pudor:
jam nunc liberius prodideris caput
spectarique volens latus
ostendes populo. Jam juvenis tibi
abblanditur honos et titulus puer;
libertoque merens additus ordini
primo redderis aëri.
Irritata maris ceu soboles equi
et frena et stapedes et phaleras rudi
cum sessore feroci excutit impete
infrænasque procul jubas
et tergus vacuum jactat ephippiis,
nos natura parit libera liberos.
Qui servit, spurii congener est soli
hæres. Paruerint nothi
et nano steriles corpore spiritus
et curvæ famulo stent animæ jugo,
sublimis patrio mens propior polo
terræ nil humilis sapit.
Mutet morte suam mancipium vicem.
Tunc felix fueris, si frueris tua
libertate tuus; ipse tibi satis
liber, si tibi crederis.

Lipsiæ d. 6. Cal. Quinctil. MDCXXI

7. Ad Garlefum Luders Novogorodia Moscuam.

1634. Juli.

Sic tibi longi faveant cachinni,
sic perennantes sine flente risus
et salus et sors et amœna blando
gratia vultu,

ut tuæ constans vigor ille vitæ
et comes faustæ Bona Mens salutis,
anxie vestri cupidum videndi
movit amicum.
Quinquies fluxum vaga luna vultum
irretardato variavit astro,
quando te fervens Abeona nostris
tolleret ulnis.
Interim nostræ valuere sortes
et tibi lenes velitantur auræ,
dum per amborum pia leniuntur
numina vota.
Me vetus primæ rotat axis auræ
et solens sueto fluit unda tractu,
dum pigrum durant iter et severæ
servitus aulæ.
Aula curarum domus, aula fraudum,
litium satrix, necis officina,
aula læsuris inimica cœlis,
invida rectis.
Heic metus denso tremit in timore,
heic vigent belli comites tumultus
et dolus et vis et iniqua crebra
cæde duella.
Malit extremis socius Siberis
inter æternas habitare sylvas,
quisquis ingrati timet imminentem
principis iram.
Gnavus optantum comes otiorum
fluxiles lento pede sistis horas,
temporis custos, inhibes volantem
sedulus annum.
Te suis misti salibus cachinni
et jocis juncti comitant lepores,
quando formosas tibi blanda stringit
Margaris ulnas,

*

21 fradum Hs.

Margaris, Persa magis unione
et peregrinis radians lapillis,
Margaris, cordis cor amorque vestri
serus amoris.
O ter! o fœlix quater et beatus!
Qui suus blande sinit ire soles,
qui suus pulcro videt axe dulces
currere nocteis.
Sive Padanas cadit inter undas,
seu dies Indo redit e fluento,
dormit ad votum vigilatque secum
æqua voluntas.
Liber ærumnis vacuusque curæ
nobilem vivit sine mole vitam,
nobilem novit sine labe tandem
carpere mortem.

3. Ad Garlef Luders S., quum arcu lusurus, manuum potiorem ipse graviter læsisset. Moscuæ MDCXXXIV.

1634. Sept. 2.

Risum sat fuit hactenus
et tecum placidis sat salibus datum;
posthac flebimus invicem,
exemplum miseris triste sodalibus,
dum fortuna tibi tonat
et mutata novis fata rotis eunt.
Jam tristes fugiunt poli,
jam nubes subitas præcipitant rotas,
insueto celer impetu
sublatus madidis rex aquilonibus
totum perfurit aërem
et sudans pluvios Auster equos rotat.
Toto sol abiit polo
et victum jugulant nubila Cynthium.
Nec natura patet sibi,

5 Hier stand früher sonat. 11 per furit Hs.

dum fuscus medium vesper init diem.
Tutum nuper erat mare
inseditque pigro Nerĕus æquori.
Nunc ardente calens mina
rixosus tumido cum Borea Notus
toto militat in salo
et nautis tremulum virus in os jacit.
Hesterni quod erat joci,
effusæ quod erat lætitiæ nimis,
fatales hodie minæ
compensant odiis acrius et malo.
Portendunt lacrymas sales,
surgit sub medio nænia jubilo.
Sic rerum voluit pater,
sic humana suas sors agitat vices.
Hæc dum sic fieri vides,
mores mobilium discito temporum;
et quæ tam celere juvant
noxam posse brevi gignere tempore,
et quæ tam subito nocent,
hæc prodesse pari posse puta mora.

9. Georgio Guilielmo Pœhmero, Nobili juventutis.

1634. Sept. 9.

Phœbus optato mihi risit ore
et suis junctæ Charites Novenis
et salus et lux et amans volantum
mater Amorum.
Festa sors albas agitans quadrigas,
ibat apricis comitata fatis,
mille centeno sociata pone
gaudia risu,
quum tuo primi frueremur ore,
care dilectis, Guilielme, Musis,
et mihi tecum socias liceret
jungere voces.
Ocyus s[illegible]re soles,

ocyus blandis bonus annus horis,
ocyus pulcer stetit in pudicis
Julius herbis.
Risit in pronum ter honora littus
barbaræ mater Neogardis auræ,
udus ulvosis ter item Chesinus
risit ab antris.
Junximus dicta bis in urbe dextras,
bis mihi totas Heliconis arces,
bis, procul terra, mihi visus omnem
cernere Pymplam.
Jam licet junctis magis esse nobis,
jam magis firmo licet ire gressu,
unit optanteis habitata longis
Moscua vicis,
seu pigri propter vada lenta Mosquæ
seu vagum flexi gremium Neglinæ
imus et blande socii fugaces
sistimus horas.
Ilicet circum saliunt euntes
fratribus misti salibus lepores
et jocis risus et agens cachinnos
mille voluptas.
Hic mera lucens Aganippis unda
inter umbrosi cadit antra luci,
hic statim surgunt duo fabulosi
cornua Pindi.
Tu caballini sitiens fluoris
ilicet totas patris ebibisti
Aonis venas et avarus omnem
helluo Cyrrhám.
Virgo pubentes tibi forma malas
lacte confuso violavit ostro,
in tuo blande juvenilis ardet
gratia vultu.

*

14 Vir in Annus Hs. 15 in superbis Hs. 17 primum Druck. 37—40 gehen in der Hs. den 33—36 voran. 38 umbrosæ — sylvæ Hs. 46 prægnato Hs.

Docta facundo tibi suada melle
tinxit acceptæ genium loquelæ:
fascinat menteis pluvius diserto
nectare sermo.
Talibus ridet lepor ex ocellis,
Phœbus a tali facit ore verba,
quum refert festus sua candidatis
carmina Musis.
Sanguinis celsi generosus humor
pectoris pulcram cui replet arcem,
lætus admittit capiente totum
pectore Phœbum.
Inter excelsas similes Camenas
patrios blande videt ire mores
et genus splendens et ovans avito
stemma trophæo.
Quicquid antiqui meruere patres,
cum verecundis bonus omne Musis
dividit judex, vetus et recenti
oblinit auro.
Sic meris junctos onyges beryllis
mutuis scimus radiasse flammis,
alba sic rubris nituisse juxtim
lilia bulbis.
Celsa sublimeis secat ales auras.
Ros amat guttam, capit ignis ignem.
Prima virtutem trahit hoc secundam
fœdere virtus.

Moscuæ, V. Eid. VII br. MDCXXXIV.

Philippi Crusi Legati Ad Exteros Magni liberalitatem carmine satis extolli non posse.

1635. Herbst.

Pura lucenti fuge lymfa gestu,
curre confusis sinuosa gyris,

*

Simules Hs. 62 juxtim Hs. 67 censor Hs. 68 perlinit Hs. 69 onyr. 74 igneis Dr. Das Datum von Nro. 9 fehlt im Dr.

sancta, sed pauper fluor inter omneis
Pegasis undas.
Si sacer doctæ foret usus odæ,
sedulus vestro linerem madore
carmen, æternum sapiente nectar,
dulcius Hybla.
Hoc dedit vestri mihi præses alvei,
liber ambabus super ire ripis
et suum tutus, quoties lubescat,
lambere flumen.
Prodigus rerum nimiusque dando
vincit optantis genium Philippus,
creber ostendens sua liberalis
munera dextræ.
Ormus hunc multo gravis unione,
hunc ruber fulva Tagus ornet unda,
scribat hunc digne pretiosus aurei
humor Hydaspis.

Ex Ehstia Hamburgum missum MDCXXXV.

*

6 Sedulas Hs.

SYLVARUM

LIBER IV,

IN QUO

HENDECASYLLABI.

Incomparabili Medico Hartmanno Gramanno, Magn. Moscoviæ Ducis Archiatro Feliciss. Fraterno Capiti Statuo Paulus Flemingus ex terra Advocatorum.

HENDECASYLLABI.

1. Ad Reinerum Brocmanum S.

1636. Juli.

Salve, grande tui decus lycei,
o Reinere, mei medulla cordis,
aut si quid mihi cordis est medulla
optatum magis et magis petitum,
exoptatior expetitiorque.
Dum blando tibi complicata nexu,
nec turbata animo, nec ore tristis,
formosas Theodora stringit ulnas,
plaudentisque sinus onus pusillum
inter blandidulas patris choreas
ad motos hilara parente lallos
adnictando recens cachinnat hæres;
nos rectæ vacui carendo mentis,
nec nobis similes paresve primis,
aulæ portio scæva turbulentæ,
nullis utile nomen officinis,
venturo nimium pigenda sæclo
inter barbaricos procul Ruthenos
florentis bona perdimus juventæ.
Sic Spartæ tua damna tædiosæ
ferventisque molestias lycei
jucundo tibi discutis cachinno;
sic turpes mihi serioris ævi
læsuro notat ungue cura rugas,
late per juvenem legenda frontem.
Salve, grande tui decus lycei,
o Reinere etc.: ut ab initio.

Nisna Revaliam M. Jul. MDCXXXVI.

*

7 turbas Hs. 12 cachinna Hs. 20 sua Hs. 23 seriores Hs. 28 Jun. Hs.

2. Timotheo Polo S.

1636. Sept.

Promissi memor et memor decentis,
inter scripturiens heri Camenas
Pympleo medius jugo sedebam.
Jam primæ mihi sitis, inquiebam,
doctæ numina doctiora Cyrrhæ;
ad Polum mihi literas arandum est.
Ridebant faciles, rogando rursum:
»Quem sed miseris hinc tabellionem?«
Stabant Hexametri, sed abnuebant.
Adstabant Elegi, nec hi volebant,
Hipponax, Epigramma, Jambus, Oda.
Quid Musæ facerent? Quid ipse porro?
Sed vah! Unicus omnium Phaleucus,
audax ille, laboris ille durus,
nec rectus pede, nec potens loquela:
»Quid non, inquit, ego, quid haud hoc ausim?«
Mirabamur ego deæque valgum
et promptum patiebar ire lætus.
Quod si loripes ille, blæsus ille,
nec firmus bene crure, nec disertus,
et nullo lepidus nitore lator
te convenerit, alpha, Pole, vatum,
ne ridere velis nec improbare
hunc nostrum miserum tabellionem,
sed cernens vitium pedis, putabis
tam longo male claudicare tractu.

Astrachana Revaliam, m. Septembr. MDCXXXVI.

3. Francisci Murreri S. Nominalis a vicesimo septimus.

1636. Oct. 4.

Octobres tibi gratulando Nonas
ad pronas fere feriamur Eidus.
Si nostræ memor es sodalitatis,
o nostri melior medulla cordis,
nec faustam tibi spernis ipse sortem,

hanc mecum Genio diem celebrans,
vicinam comes ibis Astrachanam,
qua se cornigeri fluenta Volgæ
Hircano dividunt bibenda ponto.
Non unis patet ambitus cachinnis,
hinc qua flumineo tumens vigore
tellus in mediis rigantis ulnis
fatorum dominas tot edit herbas,
clivosa super ambuli salebra
nanas Tattarici casas Nagæi,
rem visu tenuem, gravem relatu.
Quod si festior esse non recusas,
pergamus lepidum fugare solem
segnes gnaviter, otiando strenui,
et miras salium tot officinas,
quos fervor coquit ignei tonantis,
cernamus mediis natare stagnis.
Natales alii vorando perdant
ultoresque vomant mero Penates.
Nos, omnem simul exuendo curam
nec plenos nimis aut nimis vacivos,
frugali juvet assidere mensæ.
Et doctas varie ciendo lites
de rebus vel iis vel his vel istis,
quas blanda bonus audit aure Bacchus
et leni Ceres æqua ridet ore
et plausu faciles probant Camœnæ,
concordes moveamus usque rixas.
Sic vivas decet enecare mortes,
quas mortalibus absque fine rebus
tortores generant abunde curæ:
natalem mihi sic tuum celebra,
natalem tibi sic tuum celebro.
Sic faustus rediens is ipse crebro,
felici tibi grande prosit. O sit!

Anno MDCXXXVI in classe cimbrica.

*

17 fessior Hs.

4. In Albo Olearii.

1636. Oct. 15.

Hæc signans Oleario Flemingus
indocta dabat exarata crena,
qua se barbarici fluenta Volgæ
fundunt, Tattarico voranda ponto.
Quæ si nil lepidum, nihil venustum
et quod flore suo placere possit,
tam parva dederint scheda legendum,
hoc hujus dominus favens libelli
et quisquis legit hunc amans libellum,
non tam non-nocuo, precor, poëtæ,
quam cœlo nimis artibus neglecto
et plane nihil ac silere docto,
discretis velit imputare sensis.
Quo scribit rudius, colore nullo,
te flagrat magis hoc, Adame, Paullus.

In Volgæ ostio ad lacum Caspium
MDCXXXVI m. Octobri.

5. Laudes Urbani IIX. Pont. Opt. Max.

(1637. Nov. 1.)

Præsul maxime Christianitatis,
qui sublime Dei tribunal ornans,
dictator facilis supremus ævi,
salvando pia jura dicis orbi,
te flavi vada curva Tyberini
Tyrrheno celebrem vehunt profundo,
vicinæ decus audiens quod undæ,
plaudens Hadria, littus inter omne
trans Memphin procul ultimosque Thracas
facundis loquitur diserta lymfis.
Hinc ruptos remeans per angiportus,
præter sideream voluta Calpen,
ingenti comes it sonatque ponto

*

11 terræ — neglectæ Hs. 12 doctæ Hs.

URBANUMque ter optimum, ter almum,
circum quadruplicem natando mundum,
diversis placide salutat Indis.
Servati moderator ampli mundi
tantarumque merens adorearum,
hoc gestes diadema serus et spes
optantum remoreris angelorum,
qui desiderium tui per omnes
stellantis recinunt cavi plateas.
Placatam miseris putamus æthram
donec præerit orbe BARBARINUS.

Ex Perside Romam.

6. Salomoni Petræo, Legationis Persicæ Sacerdoti, Concivi et Amico veteri.

1637. Dec.

Facundissime Teutonum sacerdos,
Petri, Petre, nepos et arrha petræ,
cui vivus basis est et ara CHRISTUS,
in cujus Polycarpus ore vivit
doctorumque suada Lipsicorum,
Mayerus, movet inter eloquendum,
quem, qua Misnia terminat Variscos
trans Muldam, mihi juncta patriarum
concivem facit urbium facultas;
nos, dum prima siit juventa, eadem
idem Cynthius educavit æde,
idem Cynthius ampliavit urbe,
quam Parus rigat et procax Elyster
epoto bibit undiquaque Plisso,
te sacra faciens in æde mystam,
me vatem medicumque præstiturus,
si justas monitis daremus aures.
Sed perversus amor foras eundi
visendique novas libido terras,
tam pulcros mihi præpedivit ausus.

*

17 ampla Hs.

Jam, mecum gemitu doles quod udo,
post tot mille molestias viarum,
tot post mille periculositates,
quas nobis freta, quas humus crearunt,
post visos Livones, Getas, Ruthenos,
Circassos, Ceremissios, Napæos
et si quod genus alterum Scytharum est,
inter barbaricos agendo Mauros,
fato, nescio, quo simul coacti,
tot totos sinimus perire menses.
Testes sidera consulesque stellæ,
lex immobilis astrici senatus
et quicquid supera potens ab aula
nos et nostra regit, favete tandem,
et tantis miseros levate curis!
Tanto namque erimus beatiores,
quanto longius, exeundo retro,
quam mox abfuerimus Hisphahano.

In ea ipsa Persicorum regnorum metropoli
m. Decembr. MDCXXXVII.

Ad Venerem Stellam matutinam, in Nominali Philippi Crusii Leg.

1638. Mai 1.

Salve, Crusia stella, bella, salve,
quæ sera radians serena nocte
e picta glomerantis arce cœli,
majorum minuis jubar nitorum,
salve, Crusia stella, bella, salve.
Te blandi recubans senis protervis
mater Memnonis aurei sub ulnis
vicini prope nunciam diei,
præmittit tacito sopore mundo.
Te circum liquidæ jocantur auræ,
inter dum Charites et inter Horas
gemmato super explicata curru

*

1 bella, salva Hs.

albentes agis hinc et inde bigas,
quæ qua sidereos per astra gyros
alato niveum cient rotatu,
calcatum liquidis inane plantis
exsudat tepidas repente guttas.
Hinc anni genialis architectus
vernales fabricat Cupido rores,
quos plebs non numeranda pusionum
udis disjiciunt in orbe palmis.
Hi Nymphas super amnicas cadivi
gignunt millia mille mox nitorum,
gignunt millia mille mox leporum,
Nymphas hi super aridas cadentes,
jam quum masculeo tumens valore
Aprilis humus in sinus recumbit
et tot schemata pulcra filiarum,
natarum simulacra tot pudica
per colles, per aprica, per recessus
Majis parturit invicem calendis,
Majis blanditer educat calendis,
Majis elocat unice calendis.
Queis fratrum comites Favoniorum,
a Phœbo Zephyri cadente missi,
molles inter aëdonum querelas
cantricumque salubre quid Prognarum,
quotquot finierant, choros recentant.
Sed quid, Crusia stella, stella bella,
prorsus siderea beata forma,
prorsus siderea refusa turma,
nobis dulce nihil, nihil serenum
Hyrcani latus ad ferox profundi
ausis a refugo rogare cœlo,
emergis Scythia benigna ponto?
Nos feralis odentis ira fati,
heu! justum nimis induens furorem,
arctavit dolor! His dolor Mæandris,

*

25 aridæ Hs. 32 blandita Hs. 40 sideria Hs.

et certum nisi, numen, o merente
vix placabile morte, flectis omen,
vicino brevi destinavit orco.
Hinc mentes pavor, ora pallor, artus
Letheo tremor inficit veneno.
Quid tanto dea talis igne flammæ
exesos lacryma feris ocellos?
Pompa quid comitata, diva, tanta
ingratis miseros suoque pridem
damnatos capulo mori retardas?
Non lux, non radii diesve sudus,
non divi faciles placensve quicquam
nostræ convenit undiquaque sorti,
hei! duræ nimis, hei! nimis malignæ,
sed nox, sed tenebræ, sed atra furvi
Ditis regia præficæque voces
et quem strix fera sibilum nocentem
nocturnis male tertiat sub antris.

Olim fulseris ista, cum paventem
fœlix Crusius ibit in Rosillam,
olim fulseris ista, quando primam
et mirans et amans Rosilla noctem
evicto superaverit pudore.
Tunc mater volucrum tot Ida prolium,
tunc audax Hymen et licens Cupido,
tunc misti nitidis Joci Cachinnis
et Risus tener et Lepor venustus,
Lusus, Delitiæ, Sales, Gradivi,
tunc festiva Libido, tunc Voluptas
pulcrarumque chori Lubentiarum,
tunc pugnax Dithyrambus et Dione,
Sileni, Salisubsuli, Penates
et fausti Lemures Laresque fidi
interpresque Chorea suaviorum
et festi sacra vox Thalassionis
et blandas Genius sequutus Horas

*

55 ocelles Hs. 58 damnatus Hs.

et quicquid super est polo deorum
et quicquid super est humo deorum,
delectabile humo, polo venustum,
tunc, tunc Cinxia Juno, tunc Juventas,
fausto fascina dividens precatu,
tunc quæ per thalamum nuces jugalem
fœcundis Cuba seminet pugillis
et quicquid deitatis est facetæ
et quodquod superum licentiorum est,
tunc omnes simul advolate cuncti,
tunc omnes simul advenite cuncti,
tunc omnes simul assidete cuncti
ad fœlix, ad ovans, ad invidendum
victricum decus Aphrodisiorum.
   Nunc sed vana venis, venis molesta,
o et nostra salus et, Ida, fatum.
Ergo lenis abi valeque. Summum
nil nostrum miserante funus aure
hauri, mater honora, mater, hauri;
quæ sera radians serena nocte
e picta glomerantis arce cœli
majorum minuis jubar nitorum,
salve, Crusia stella, bella, salve.

Infra Tarcoviam Tagostanensium inter miserias castrenses
Kal. Majis MDCXXXIIX.

*

91 facundis Hs.

SYLVARUM

LIBER V,

SEU

HIPPONAX.

Nobilissimo Et Magno Viro Wendelino Sibelistio, Magn. Moschorum Principis Archiatro Supremo Ex Societate Meliboeo Dicat Florianus F. Ipsius Flemingus.

HIPPONAX.

1. Super nebula miranda in triumfali obitu Gustavi Magni.

1632. Nov. 6.

Fatalis e Septentrione tempestas,
cœli tonitru, fulmen orbis irati,
minax rebellis judicator Europæ,
ferocientis acre Sarmatæ frænum,
Romæ capistrum, grandis Austriæ lorum
magnoque major laude rex Alexandro
abivit orbe. Misnicus stupet Titan
videre tanti frigidum ducis funus
nec hoc sub ipso cernit æger obtutu.
Sed mœsta cano condit ora sub peplo
totoque tristes induit sinu pallas,
ut qui, sui qua muneris recordatur
cunis ab ævi, se neget parem tanto
vidisse regi nec parem seni speret
orbi futurum, jam nec emori cernat.

2. Wendelino Sibelist, Magni Moschoviæ Principis Archiatro.

1634.

Sagax potentum distributor herbarum,
Phœbi sacerdos, mysta disciplinarum,
artis medulla, cura corque naturæ,
quicquid recondit intus aut dedit luci
æterna mater, ter peritus interpres
fidusque doctor; occupamur in vobis

situque putre, squalidum, peregrinum
torpente vix resumimus manu plectrum,
dum mite fausto penditur tibi cœlum
totusque se vobis olympus indulget.
Attende lenis, mutilum damus carmen
Scazontibusque fluctuamus infirmis.
Frustra renitor, lautius quid ut promam.
Non in bicorni somniavimus Pindo
sacroque sicci fonte tinximus labra
cantura vobis. Nuper hoc solebamus,
quum noster esset cum sororibus Phœbus.
Nunc quando vixi cultor infrequens Musis
et parcus hospes, desuēvimus plectris,
raucedo vocem, torpor obsidet mentem
et, delicatum quicquid est, fugit retro.
Te fautor æther ætherisque custodes,
qui fata scribunt temperantque viventum,
benignitatis affluum suæ civem
omnique divitem salute fecerunt.
Quod si quis est habendus omini plausus,
sic esse fertur allocuta nascentem
benigna tellus: Vive, cœlitum germen
et nostra proles quodque patrium spirans,
debende cœlis, mutuatus ex iisdem,
sed canus olim, sed tuæ satur vitæ.
Te blanda bella Comitas, soror Formæ,
Facetia cui mater et pater Risus,
excipit ulnis labilemque ducendo
Juventa puso mobiles gradus firmat.
Hinc cum tenellas pecteret dies Aetas,
matura libris, lenibus datur Musis
dilectus hæres, spes parentium grandis
amorque serus temporum futurorum.
Ars ipsa, docto dives et tumens lacte,
admovit uber nectaris sititori,
seni quod Usui coæva Doctrina,
immiscet et labris Scientiæ fundunt
volentibusque basiando propinant.

Sic quum pudicus virginem diem Phœbus
salutat et stertens resuscitat punctum,
in rorulentis ebrium genis mane
hiscentis arvi floreas premit fauces
novumque pronis robur impluit culmis.
  Hinc Pergamarum sanctus artium præses,
Apollo Phœbus, ingenii sciens tanti,
adscripsit inter se colentium fasces
et te salubri contulit Mediternæ.
Hygea, quicquid extat, omne morborum
et omne curæ dux Medela monstrabat.
Sit tibi, cor juvenum, durabilis illa facultas,
quam pius in patriæ ponis honore tuæ.
Disseris orbis opes pariter Cimbrique labores,
quos subit et toto poscit ab orbe decus.
Quære novos calamos, majores scribe papyros,
spiret et eloquium vox tua grande magis.
Tantus ad ingentis surgis primordia curæ,
quantus in expleti fine laboris eris.

In Livonia.

41. Gramanno meo felix nubere precor Flaminius.

1639. Juni 28.

Qualis in amplexus iret tibi, candide, conjux,
hæsit in ancipiti mens tua dia diu.
Vidit hoc ultor Amor mediusque favoris et iræ
secreta tacitum cor tibi læsit acu.
Ilicet arsisti certo combustilis igne
et stetit ad thalamum Fonna serena tuum.
Stet, precor, et jaceat, tecumque diutina surgat,
Et ferat hic fructus motus abunde suos.

Revaliæ. IV. Kal. Quintiles.

42. Philippi Sidnei laudibus.

Albionis radius, terræ lux tota Britannæ,
qui procul Orcadibus Hebridibusque nites,

*

40. 1 ista facultas Dr. 7 ad inceptæ Dr.

qui, Latium quot habet, quot habet vetus Hellas amores,
Gallia quot Veneres Hesperiæque colunt,
omnes unus habes; genus arduus, inclytus arte.
Majus habet calamo nil tua terra tuo.
Stemma crepent alii, quibus est nihil amplius; in te
nobile nil minus est nobilitate tua.

43. Meursii honoribus.

Et tibi sunt faciles condendo in nomine Musæ,
jam memores cultus in sua regna tui.
Stat gravis in medio frondente acumine Pindo
palma, corymbiferæ palma propago deæ,
quaque comas aperit, statuunt super arbore carmen,
ipse quod auratis fecit Apollo notis.
»Meursius hanc meruit: pignus defendite, natæ;
donec is ad nostras evolet ipse domos.«

44. Heroica Casparis Barlæi.

1639/40.

Est aliquis tandem, quo cum, Maro maxime, palmam
jure queas merito dimidiare tuam.
Quæ vetus ad Latios cecinit Parthenius amnes,
hæc novus ad Batavas Barlæus audet aquas.
Rura canit, crepat arma, tonat fera prælia, cuncta
Virgilio similis, re, gravitate, stylo.
Mantua Virgilium, Barlæum prædicat æque
Amstelis, et palmam prædicat esse suam.

45. Petro Scriverio XXIII. M. Januar. MDCXL, in disputatione inaugurali.

Hei, ubi magnanimus generosa volumina Rhenus
sistit ad excelsæ mœnia pulchra Deæ,
publicus ad Batavas tandem sermocinor aures,
amplior a medica certus abire schola.

*

42. 3 Cui Dr. 43. 4 colymbiferæ Dr. 45. disuputatione Dr.

Da, Pater, hoc veniæ, si vox male blæsa subhæsit:
quis coram Phœbo, quæso, disertus erit?

ı hunc librum pertinent sequentia epigrammata, quorum tituli saltem apud me remanserunt.

1. Diluvium Crimæ ad Muldam.
2. Magdæburgi infelicissimum fatum X. Maji. MDCXXXI.
3. Desolatio nobilissimi fortalitii ad confluentes Muldæ et Albis, ope Dessaviam Anhaltinorum, comitis Tillyi jussu.
4. Wurzenæ ad Muldam in fuga communi MDCXXXII.
5. In Momum.
6. Honos, onus.
7. Calumniatori suo.
8. Zoilo suo bonam mentem.
9. Thyrsi amores Puteani.
10. Olearii Astrolabium.
11. Incendium Mitveidæ meæ, MDCXXXV. ad Ciopum.
12. Tres uniones in crinibus pendulis Basilenæ.
13. Annulo bonæ memoriæ.
14. Ad Astrachanam, terminale Ruthenorum ad Eurum emporium Tartaria Nagajensi.
15. Ad montana Volgæ.
16. Matura lente: festina lente.
17. Arca Nohæ reducta; ad nob. H. Gramannum, Med.
18. Bibliotheca Carmelitarum Hisfahani.
19. Sepulcrum Domini nostri ligno æmulatum, apud eosdem dem.
20. Fanum, quod in honorem falconis de aquila triumphantis in ʒo maxime edito juxta opidulum Nathans extrui curavit Schah Tamas.
21. Theophilo a Schonberg, Legato Poloniæ ad Persarum Rem, obviam nobis in Parthia facto MDCXXXVII. M. Dec.
22. Arcus miræ altitudinis in Gilano, opus thesaurarii regii.
23. Pons nauticus undeviginti cimbarum, paulo infra confluentes ri et Araxis ad oppidulum Schabath, qui jungit Hyrcaniam cum Meı, nunc provincias Schirvan et Mogan.

*

Dep. 1. Dilviuum Dr. 9 amoris Dr.

24. Imamculibeg Escagesi Sultanis, Legati ad Illustrissimum nostrum regii, adventus Schamachiam, fer. 2. paschali.

25. Diræ in Lycum.

26. Meo mastigi meliorem mentem.

27. Homo homini lupus, diabolus, gehenna.

28. Territæ virtutis pusillanimitas. Ad Olearium.

29. Extrema unctio Basilii Basilidis Propovi Rutheni XVII. Maji. MDCXXXIIX. infra Tarcoviam.

30. Amicæ deficienti.

31. Anemonæ gemitus.

32. Patriam videre gestit.

EPIGRAMMATUM

LIBER XI,

SEU

EPULÆ.

Doctissimo Joanni Nihusio, Summa Quæq. Capienti Ingenio, Affini Chariss. Lubenter Assigno Paulus Flemingus Doctor Medicus.

EPULÆ.

1. Christiani IV., Danicarum Insularum et Norvegiæ Regi Laudes.

Magnus avum, virtute tua rex magnus, ut hæres
illius es, dominus sic pol! es hujus; ave.
Faustus ova: toto tranquillas Nerea ponto,
paret et imperiis Tethys aquosa tuis.
Qua natat oceano placidum tua Dania magno,
jura tot in terras tot populosque geris.
Balthice, victor aquis, Norvegice, Scandice, terris
victor, io! gestes hoc diadema diu.

2. In gratiam Godefridi Simmerlini, Sil. de anima disputant

Vis animæ dent certa tuæ suffragia nostræ,
sed nescis animam disperiisse meam.
Non vivo, non spiro; mea non sentio vita
nec vaga nos primæ sustinet umbra Deæ.
Quod sed adhuc animer, reliquos facis inter amicos,
meque movės anima, mi Godefride, tua.
Anne animæ det signa suæ, cui propria nulla est?
In nobis anima se probat ipsa tua.

3. Poesis Christophori Bulæi, Musarum delicii.

1632.

Lac ab Acidaliis quod in hoc salit ore papillis?
Mel ab Hymettæis quale pitisso favis?
O sapor! o epulum jovialibus utile mappis!
Nectar in ambrosia navigat omne mea.
Sunt ea, sunt lepidi bellaria dulcia vatis,
mattya Bulæi sunt ea, juro, mei.
Sim conviva tuæ creber, precor, annue, mensæ.
Non mihi sidereas amplius opto dapes.

4. Amicum invitat.

Jam soli licet esse mihi, licet esse quieto
et medium liquida fallere mente diem.
Chare, veni, stimulus si te memor urit amici,
et bonus optantes lætus inito fores.
Non deerit placidi delectans copia verbi,
materia varios excutiente sinus.
Hic solo cum solus ages, tuus incola semper
dictator reditus quin eris ipse sui.

5. Horti amoris Blyenburgii.

Astra Jovem capiunt, Neptunum marmora: tale
talibus hospitium convenit hospitibus.
Horte, potens per te dominisque potentior illis,
qui venit ingrediens osor, amator abit.

6. Poesis Joannis Heermanni, nobilis ingenii.

Cynthie, quod resona mihi tinnit in aure melisma,
Threicio melius, juro, melisma melo?
Dic pater Ascræi sacrosanctissime vatis,
dic Deus. At renuens quur abeundo taces?
Arbitror, invidiam sonus hic in pectore divi
movit. Hoc insolitæ me docuere vices.
Jane, licet taceat, abeat licet æger Apollo:
se melius te quid posse tacendo probat.

7. Libri Epidorpidum Scaligeri patris.

Legit Apollo librum, divini munus Iuli,
cum saperent jovias diique deæque dapes.
Legit Apollo librum: silet hospes et abstinet omnis,
cumque libri quisquis fine repletus abit.
Fertur et ambrosia pater abstinuisse deorum
hactenus et nullus nectar amasse deus.
Lautia, delitiæ, bellaria, vina, valete!
Hæc saturant ipsos fercula lecta deos.

*

6. 6 insolita Dr.

8. Sabini Poesis.

Compta nec ad fastum peregrino turgida fuco,
sed sua, sed proprio frons ab honore potens,
qualis erat facies, cum surgeret æquore Cypris,
qualis in erepto flos Ganymede fuit,
nuda suos Pindo profert dea cœlite vultus.
Vilia sunt, emptus quæ linit ora color.

9. Tarræi Hebii XXX. libr. Epigrammatum

Stringit in obscœnum violentus carmina Scoppum
Hebius, impuri serius ultor epi.
Scoppe, priapismo, tentigine, Scoppe, laborans,
Scoppe, nihil nisi pus, nil nisi, Scoppe, situs,
da caput immundum. Lixivia digna parantur:
tollitur haud alio smegmate tanta lues.

10. Adversaria Barthii.

Quærit in omnigenos scriptorum Barthia census
cura, potens genio, dexteritate potens.
Explicat, illustrat, confert, defendit, abarcet,
adjicit, observat, corrigit, apta ponit.
Crescit ab adversis virtus. Sibi quæsitat hostem,
sumit et a magno grande labore decus.
Sol liber est tantas removens tot noctibus umbras:
quo magis hæ tenebrant, hoc magis ille micat.

11. Super defluvio foliorum ex arboribus.

Ibitis in nihilum, genitivi pignora Maji;
de vestra spolium dote November habet.
Nam putris autumnus nocua vos conspuit aura.
Mortifer hei! vobis halitus ille fuit.
Vos phthisis et falso vitiat scaber uterus auro;
dum tremitis, sic vos prima remordet hiems.
Hei! homo quod folio nihil est felicior ægro!
Jam valet, ut jam mox langueat atque cadat.

*

9. Tarrhæi Dr.

12. Super Cupidinis effigie.

Filius hic noctis, cæco prognatus ab ovo,
bruta quod excelsum numen adorat humus,
omnimodi dux caussa mali: pater exstitit error,
stultitiam matrem non negat esse suam.
Jurgia, fraus, odium, lacrymæ, jactura, simultas
sunt consanguinei nomina juncta tui.
Si tales in amore vices, quis amare peroptet?
Quam miser, a misero qui sibi sperat opem.

13. Culina, quam vocant, frigida.

It Ceres et plenos aperit reserando canistros:
ad patulas dominus confluit ordo dapes.
Stant reliqui rigidique gelu comedentia laxant
ora, focum stomacho fert sibi quisque suo.
Tunc celeri juvat esse manu: nocet esse morantem,
Bacche, Ceres, vestri qui memor esse velit.
Crura, manus video penetrante rigescere bruma:
cur sed hiems solo flagrat in ore? Comest.

14. M. Adamo Oleario.

1633.

Mellea Teutonico nascentia carmina Pindo
totaque Castalio tincta liquore metra,
has patriæ felicis opes, quas denuo gignit,
vis mihi sint animi pignus, amice, tui.
Vive, mihi primos inter non ultime vates,
qui poterant tantum restituisse decus.
Nil vulgare canis, leve nil; sed si quid amarum
hic latet, hoc tanti funera regis erant.

15. Oleario, prodigialiter liberali.

Digna tuis animis et convenientia tanto
spiritui, quod opes nil ais esse, facis.
Sic Epicurus habet magnique Neronis alumnus,
sic cratem Crates abjicit, ut sit ovans.

*

15. prodigaliter Dr. 4 Cratem Dr.

Fortiter hanc mentem defende, nec esse quid usquam,
quod tibi præferri, crede, valore queat.
Tu tibi divitiæ, tibi Crœsus es, omneque dives,
quo minus est extus, hoc magis intus habes.

16. Wernero Calmio, itineris ex parte comiti.

Vertere dilecto, Wernere, revertere voto,
quod pater et pro te patria mittit humus.
Sit satis incultos toties vidisse Ruthenos;
hinc poteris urbi carior esse tuæ.
Sive vocet fatum seu mens novitatis avara
imperet, a patria longius ibo mea:
i prior et charæ de me dic dulcia terræ:
primus es, in reditu quem revidebo meo.

17. Jano Adolpho Raschio.

1634. Juni.

Quod si læva tuis fuerat Rhamnusia votis,
et mihi sors junctis alba fuisset equis,
pauperior fuerat tua, sed mea ditior arca
pelle, Siberiaco quam Scytha mure trahit.
Sed satis est uno nobis vicisse triumpho.
Palma fuit pugnæ præda sat ampla meæ.
Adde, quod in dubias foret optio facta favissas.
Jam quod habes, habeo. Nos quod habemus, habes.

18. Invitatio.

Si potes ad blandos non surdus adesse vocatus,
ne, rogo, te cœnæ subtrahe, chare, meæ.
Nil nisi de vetulo comedes pigra fercula gallo,
quodque rubens acidum serva ministrat olus.
Nec deerit cum lacte novo cerevisia verna,
illa sed œsophago vix sapitura tuo.
Hoc tamen ignoscas: vinis prohibemur adultis;
quæ licet abfuerint, largior usta bibas.

Apud Ruthenos, MDCXXXIV.

19. Cunrado a Wangersen, Eloquentiæ filio.

Care Livo, pulcræ germen non degener urbis,
spes patris et magnæ sola columna domus,
verba facis, quibus alta ducis molimina Cimbri,
nos per in extremo quæ gerit orbe, probas.
Obstupuere tuis nostræ sermonibus aures,
et juvenem senii te quid habere, liquet.
Nestor es, octodecim vix et tibi digeris annos:
octo quis octodecim cum numerabis, eris?

20. Hadriano Illyrico.

Cor juvenum, quos Harris amat, quos diligit omnis,
quisquis avet juvenes semper habere dies,
me vigor ille tui capit et flos integer ævi,
candor æmicitiæ plus trahit ille tuæ.
Forma placet Veneri, Charisin mera mentis idea:
hæc animæ faciem, corporis illa gerit.

21. Vernulæi Apologia.

Defensor Senonum, quos nobilis Austria cœlo
æquat et ad magnos scribit in orbe deos,
rem facis æternis et cedro et baccare dignam,
quando deos astris asseris, astra diis.
Jupiter e patrio reprobos fugat axe gigantes
fulmine, tu calamo turbidiore tonas.
Jupiter in superis par nil habet, Austria mundo:
par nihil est palmæ propter utrumque tuæ.

Inscriptio in diversorio publico Persico, caravansera keru inter Caswin et Saba: Benedictus Oxenstirna, 1617.

1637. Juli 16.

Clare Sueco, duce quo tua Scandia crescit, et augmen
sumit ab ingenio terra Livona tuo,
te lego jam peregre, quem vidi cominus: isthæc
quam renovat faciem linea ducta tuam!

*

21. Apologiæ Dr. 1 Semonum Dr. 22. Caspin Dr.

Hinc tibi subscribo. Legat alter et explicet ambos
advena. Nos peregre tam bene junxit Amor.
Dissociant, sociant homines sua fata, nec ulli
sat licet et firmum est dicere: stabo, cadam.

23. Hieronymo Imhovio.

Vidimus Opitium; sed imagine vidimus illum.
Non sed ea, qualem, Luca Myronve, facis,
non, sed ea, qualem per inania somnia Morpheus
ducit in aërea mobile schema scheda.
Quam tibi, cui referam lætum tam triste secundo,
Imhove, tam longæ duxque comesque viæ?
Triste, Dii! lætum; nos hoc quod acerbius angit,
quo sumus a tanto longius usque viro.

In Parthia.

24. Cornelio et Ottoni Murreris, Francisci mei uterinis.

1638.

Par Murreriadum, quos tres scio vivere fratres,
quos mihi Francisci solius unit amor,
vivitis et socia forsan vel in urbe vel æde
mutua contiguis jungitis ora labris.
Me comitem dux vester habet per tanta viarum,
vester is ad tantum dux quoque noster iter.
Hic dum nos juncti morimur, vos vivite juncti.
In vita vestra mors quoque nostra movet.

25. Coisum, Tartariæ Dagostanæ Comuicensium alloquitur.

Nais, Hamadryadum genialis alumna tuarum,
barbara, Comuicis sed satis æqua tuis,
ille genu minor et caput his tibi tinctile lymfis
qui proicit, faveas ut sibi, Cimber avet.
Sis, Dea, sis facilis, dubiumque natatilis undæ
agmen ut objiciat nil furiale, cave.
Utque magis moveat, minus audet, ut instet avendo:
ad minimas pia sunt numina magna preces.

XIV. Maj. MDCXXXIIX. feria II. pentecostali.

*

22. 7 Dislociant Dr. 25. Coisu Dr.

. Displosio Tormentorum inter pocula votiva Moschorum ıtocratoris, regis Persarum, nostri illustrissimi, et Schem-alis (nobis Schafgalis) parentis Sultanis Mahmudi, in castris ad Coisum.

Hic fragor a tonitru te non perterreat isto,
magne Dagestanæ præses et ultor humi:
Jupiter hæc vobis dedit, hæc dedit arma Gradivus,
nulla sibi similes lædere docta viros.
Quum bibit ambrosiam, superum sic fulminat autor;
lætitiam magni sic coluere dii.
Cum nihil hic desit cœlis et numine dignum,
jure quis hic tonitru nolit adesse Jovis?

XV. Maji, MDCXXXIIX.

7. Musica, quæ Schafgali Dagestanorum protoprincipi una ım muneribus producebatur a legatis, tertia Pentecostes, in campis ad Coisum flumen.

1638. Mai 15.

Digne saluteris qui rex tot gentibus, in quo
si quid barbariem, nil nisi cultus habet.
Cimber ovans pelago, terris, nive major et æstu,
Cimber in imperio jam novus ille tuo,
Cimber ad harmonicas Plutum tibi dividit odas:
convenit hoc animo munus utrumque tuo.
Non satis est oculos, loculos, et quicquid ab extra est,
ut repleas: animos jam quoque junge tuos.

3. Eodem die. Pan, in donatione ovium, agnorum et capellarum Schafgalis, ad legatos.

1638. Mai 15.

Sumite ruris opes et quicquid amabile villis,
chara, sed ad linguam nomina dura meam.
Hos nihil invitis exemi matribus agnos,
hoc medio vobis e grege demo pecus.

*

26. 1 Moschcorum Dr.

Vester erit (hic jussit herus) penus ille, nec ille
solus: in hunc totum jus habitote gregem.
Vilia dant inopes: pagi ne spernite munus:
sæpe tenet magnos rustica cœna deos.

Ibidem.

29. Valedicit Coisu flumini XVI. Maji.

1638.

Hæ tibi perpetuæ moveant in crinibus umbræ
subter eatque tuos jugis arena pedes.
Nec tibi tristis aper nec sus lutulenta nec ursus
turbet aquas sacrum prostituatque tuum.
Lenis es et peregrina favens in vota rogantum:
qua bibis aure preces, hac regis ausa manu.
Pergimus et memores Cimbros referemus ad amnes,
et fluet ad laudes Albis et Eidra tuas.

30. Adamo Oleario suo.

1639. April 15.

Inter amicorum primos numerande meorum
prime, sodalitii summa corona mei,
dulcis Adame, tuos nobis subducis amores,
et nostras alio fers peregrinus opes.
Quisquis es, hoc posthac me fortunatior ore
qui frueris, nostri non minus esto memor:
ille suum nostro cor cordi hac liquit in ora,
nostra peregrinus corda per arva trahit.

31. Armillæ Anemones.

Et decus et simul es misero mihi dedecus, aurum.
Nempe ligas quas tam scis nitidare manus.
Libera servili devincis brachia nexu,
qua sed obes, nobis non minus arte places.

*

29. 8 Eidna Dr. 30. 7 huc Dr.

Nympha sciat, cui sponte mea sic mancipor omnis,
nil mihi captura dulcius esse sua.
Scit tamen; et me dum per te sic nectit, eodem
se capit et proprio complicat ipsa jugo.

32. Super symbolo amici: Sapientia condimentum vitæ, in albo.

Fercula cinnameos quod sunt halantia rores
et dapicis fragrans missus aromatibus,
hoc ego mista reor sapienti polline Musis
esse solent mentis sal sophieque tuæ.
Conditura sua commendat dote sapores,
non sapit, admisto quæ caret esca sale.
Vita quid insipidum est, quam ni Sapientia juste
condiat, insulso consul asellus erit.

33. Respice finem.

Æthereum mihi dux aperit Sapientia ludum;
sic docet illa, novo sic ego disco modo.
Inversa docet illa via; caret ordinis ordo,
finis origo rei, terminus ortus erat.
Hac felix, ait, esto via. Lex illa beatum,
quod meditetur opus, quod faciatque regit.
O bona confusi methodus conaminis, in quo
regula simplicitas, error amussis erat.

hunc librum referenda sunt sequentia Epigrammata, quæ inter amicorum manus versantur.

1. Inscriptiones Orbis Gruteri.
2. Eobani Hessi meritis laudibus.
3. Fossa Eugeniana, sive S. Mariæ.
4. Tamerlanis Basilica, ad Achtubum flumen, trans Sarizam Volgæ.
5. Gynæceum regium in circumcisione Eliasbeci Armeni.
6. Ad castaneam arborem.

*

31. 7 eadem Dr. 32. 8 Vielleicht insulsus.

7. Mala aurantia et citrea primæ magnitudinis M. IXbr. a Schiras in Ispahan missa.

8. Olearii galea in oviparæ nidum conversa, signum superati discriminis.

9. Baccho diisque alumnis Persarum valedicit.

10. Culicum importunitas cruciabilissima in itinere æstivo per Russiam et Tartariam.

11. Oleario in Volgæ ripa naufrago, inter turbas nauticas scriptum.

12. Invisio ad Hartmannum Gramannum naufragum, inter iliceta Tartariæ Morduvinensis ad Volgæ littus orientale MDCXXXIIX.

13. Pulchellæ, seu Gramanni castis amoribus.

14. Florella, seu Suaviorum lib. III. Oleario suo felices tædas prælucens.

15. Claudio Salmasio Lugd. Batav.

*

7 in Spahan Dr.

EPIGRAMMATUM

LIBER XII,

SEU

CACHINNI.

Excellenti Et Felicissimæ Ideæ Adolescenti Henrico Vulpio Henr. Fil. Uti Nominis, Sic Virtutum Paternarum Ingenuo Hæredi, Ad Perfecta Quævis Nato Et Educato Affectus Testimonium Adscribo Paulus Flemingus P. L. Phil. Et Medicinar. D.

CACHINNI.

1. Epitaphium Cati.

Heinzius hic jaceo, viridi catus integer ævo,
delicisæ domini lætitiæque mei.
Vix miser infaustum fueram spatiatus in hortum,
Faucibus interimunt Turcaque Grypsque canes.
Fecerat invidiam, quod herili tutus in ulna,
suasor, ut insontes percuterentur, eram.
Quisquis es, exitio, cate, cautior esto meopte,
et fuge longipedes, ne laniere, canes.

Heinzio, Festivi Ingenii Catunculo, Debitæ In Herum Observantiæ Ergo Posui Ejus Cruentam Mortem Nimium Quantum Condolens. Exspirabat VI. Cal. August. MDCXXXIII Sub Vesperam, Hei. Sibi Vere Vesperam.

2. Allomodo, mediæ staturæ, lepidi spiritus cani, cœsio, versicolori, ad vocem saltatori et gesticulatori ridiculo; cui, quod sui generis aliis dedecori, cauda auresque abscissæ singulari ad genium domini ornamento erant. Qui, iter cum ephippiario, cui ex possessione parebat, in Persidem nauta faciens, dum propter Cossacos, classem Cimbricam de diluculo adoriri falso putatos, et ipse vigil et sanguinis hostici ex ira furoris masculi sitiens, proximo sibi remigum Russorum dente cruris involucrum obiter lædit, edicto nescio cujus plus quam prætoriano modo rigido in Volgam præceps datus et aquis non obversis ad puppim iterum manibus pedibusque remigans, a tubicine Blanco sclopetario globo per medium ventrem trajectus a vulnere pectorali, quod in similibus turbis nescio a quo acceperat

iisanatus obiit, hei! violenta morte, quam placidus ipse i meruisse omnibus visus est. Fido, frugali, vigili, ca-n exemplo nato, P. C. Patres canum conscripti, ob in-iii elegantiam. Parentes nesciuntur; inopina enim morte eventus nec genus nec rerum suarum curam cuipiam ex-uit, quod male neglexisse dolet sero herus possessor, in vindictam serio cogitantissimus.

Epitaphium.

Flete, quod exequias socio non ire potestis,
qui celeri raptus mergitur amne, canes.
Flete, canes. Non iste pias furor irruit undas,
ut raperent vestrum morte fluente decus:
fecit hoc ignivomi displosio plumbea nitri.
Caussa sed in miseri non fuit una necem.
Dicite, quod veniens merito mirabitur ætas:
qui jacet in mediis igne peribat aquis.

D. XXVII. Sextil. MDCXXXVI. Supra Saratoviam.

Genti, heroicæ faciei molosso, a conticinio primæ bru-is in Mediæ pago ad Caspium lacum litorali Niasabath bus sclopetariis globis caput trajecto, quod, quia inva-it obiter haut nullos, insania correptus aliquibus vide-ir, quod ipsum alii ejus in dominum fidelitati dandum, virtuoso alii ejus animo, qui columellam et catenas, quippe generosus, ipsa morte ducere poterat acer-bius, Collegii canini dictatori perpetuo,
Strenuo, Severo, Vivaci.

1636. December.

Hic ego Gens recubo prisca de gente Molossa,
Anglicus Holsatici tutor et ultor heri.
Regia terribilem facies me fecit et ardor,
pavit ad eloquium virque canisque meum.
Martius occubui: neque enim mors dignior ulla,
strenuitate suam non capiente necem.

Eminus i, nec eunte recens pede concute bustum,
sin minus, e fovea me rapis in rabiem.

4. Nobili Catellorum vere nobili, seu speciem spectes seu genus seu mores. Illa quidem totus nitidus erat, quippe candidus, empusa; isto ex nobili Livonicorum canum sanguine ortus, quem una cum heris suis, famosus ille per Asiam Europamque Moschorum tyrannus, natali solo seculo superiore secum in Roxolaniam suam abduxerat; his ex ingenio ad amussim lepidus, jocularius, cujus vox supra communem canum sortem jucunda erat.

5. De Lustio et Mavia, in itinere amissis.

Chare canis felisque vigil, quo tenditis ambo,
biga per ignotas interitura vias?
Tu fures terrere vigil, tu callida mures
fallere, sic miseros destituistis heros?
Itis at et socio sola per mihi nescia calle
tenditis hostiles exuitisque minas.
Quisque videns sic vos mirabitur hospes euntes
et dicet; liti quam bene pax comes it!

6. Sultanus, severus, corpulentus, coloris plus quam nigri, vultus plane serii canis, domino fidus, eique rarum inter canes exemplum soli ad plagas quoque obediens; ad ictum sclopeti industrius; sagacis nasi, natator audax, qui, dum perdicem, plumbo semivolatilem factam, nimis persequeretur, viarum errore captus, emansit, dubium est, an perierit.

7. Memoriæ Grimmii, Boickes, Sultanis.

Siccine vos tabula, pia triga, legemus in una,
quos totuplex rapuit Parca, quot estis, heris?

*

3. 7 racens Dr. 8 capis Dr. 7. 1 legemur Dr.

Grimme, decus fidei cui demerat Harria caudam:
lynx cute, Mars facie, Boicke, leaena minis,
tuque, niger Sultan nec aquæ rudis artis eundæ,
barbarus in solas, quas herus icit, aves.
Stertite sub foveis, quæ, sint ubi, nescio vestris;
stertite: nam vigiles non magis esse licet.

8. Amorosulæ puerperium.

1637.

Majus adest: pare, bella canis, pare, bella! Sed ohe!
Ne nimis in trinum sis cita, ventris onus.
Dum properas primusque tibi sic perditur hæres,
vagit in occulto par geniale sinu.
Cautior i, genitrix, timidosque enitere nasci,
vivet in amborum tertius ille pari.
Nam quoties niveis ludes comes ipsa gemellis,
amissum toties dissimulando gemes.

Artofilæ in Media.

Falanidi in punctistitio separationis decimæ Decembris ab undecima, Luna falcata, feliciter primum puerperæ, deliciis Olearii.

Prorsa, veni, Partumna, fave, sta, Nascio, juxta,
solve laborantes, Nixia Iuno, sinus:
parturit et nitido Falanis amœna puello
donat herum: lepidam tolle, Levana, feram.
Sique quod est aliud, cunis quod lene ministret
numen, ad officium quodlibet ite suum.
Ite, nec hoc operæ genuinæ demite proli,
cui decus est, nullum non habuisse patrem.

10. Ex persona Sciuri, laqueo suffocati.

Exieratis heri, dum clausis undique rimis
Fumeus in vacua Mulciber æde furit.

*

8. 2 ventus Dr. 9. 1 Grorsa Dr.

Anxius hinc animi nec in hoc piger asthmate, lapsus
pendeo, dum propero dissiliendo fugam.
Pendeo. Ne, domini, vos quæso, putate reversi,
furca quod hæc furtum forte sit ulta meum,
nec mala suasit eam mihi desperatio mortem:
me laqueo jugulant ignis et aura meo.

11. Epitaphium Culicis, alacanthino vino perempti.

Dum bibit et roseo vates se tingit Iacho,
et circum bibulas lætus oberro genas,
gutta cadit, rapit illa simul me gutta cadivum
et necat: ad tantam sat fuit una necem.
Ecquis erit, nostro qui condolet advena letho?
Non poteram fato nobiliore mori.
Hoc tibi sim gratus, vates: mors semper ubique est.
Quis scit, an ex cyathis non bibat illa tuis?

In hunc librum referenda sunt sequentia epigrammata, quæ amicorum manibus tradita hactenus ad me non redierunt.

1. Tumulus alaudæ Christenii.
2. Testamentum lusciniæ.
3. Columbi a marita proclusi nænia.
4. Onagri, quem Persarum rex acinace dissecuerat uno ictu.
5. Aius jaculo frontem transfixi ab eodem.
6. Falanidis Oleariæ apotheosis.
7. Caspith, Falanidis Oleariæ primogenitus.
8. Casbini inter novem unius partus absolutissimi catelli natalis.
9. Fratribus ejusdem duobus ob infantiam errore viarum amissis.
10. Casbini, Falanidis filii superstitis unici, eodem quo mater desiderabatur die sublati, tumulus.
11. Testudinis Imhofianæ tumulus.
12. Leporis epitaphium.
13. Suprema voluntas cuniculi.

*

Deperd. 5 Leg. Ahus.

14. Triumphus vulpeculæ, cui in venatione caudam canes abstraerant, ipsa liberante se fuga.

15. Galli a vulpe abrepti ad matresfamilias.

16. Onisci a leone contriti.

17. Pulli a matre suffocati.

18. Gemitus ranæ viridis febricitantis.

19. Pisciculi in littore siti exspirantis epitaphium.

20. Pediculi fame enecti ad patres mendicorum conscriptos.

21. Epitymbium pulicis saltus errore in puteum lapsi.

22. Marsupii cloaca absorpti epitaphium.

23. Querelæ virginis senio vicinæ.

24. Oleario, castrorum metatori in itineribus barbaricis.

25. Hartmanno, pedestri in itineribus Tagostanis.

ANMERKUNGEN.

Wenn gleich dasjenige, was zu dieser Ausgabe von Paul Flemings Gedichten im Allgemeinen über den Dichter, sein Leben und die Abdrücke einzelner oder gesammelter Werke desselben zu sagen ist, am zweckmäßigsten in der folgenden Abtheilung, welche die deutschen Gedichte enthalten soll, zu vereinen sein wird, so dürfte doch einigen Vorbemerkungen, welche sich ausschließlich auf diese Sammlung der lateinischen Gedichte beziehen, ihre passende Stelle hier schon anzuweisen sein.

P. Fleming wird als der geist- und gemüthsvollste Schöpfer der neueren deutschen Dichtkunst anerkannt; weniger bekannt ist es, daß er einer der letzten Deutschen war, welche vorzügliche Gedichte in lateinischer Sprache zu schaffen liebten. Er selbst hat mehr seiner lateinischen Gedichte, als der deutschen, nämlich nur einige Gelegenheitsgedichte gedruckt gesehen. Daß er nicht etwa lediglich durch lateinische Verse Gönnern und Gelehrten sich empfehlen wollte, zeigt ein Blick auf die zahlreichen kleineren Gedichte, welche er neben den deutschen nicht nur in den Universitätsjahren, sondern auch auf seinen Reisen jedem Anlasse, jeder Stimmung zu widmen pflegte. Zu den größeren lateinischen Jugendgedichten, welche er in den Jahren 1630 und 1631 drucken ließ, gehören die Hochzeitsgedichte auf einige Mitglieder der von Schönburgischen Familie, das Natalitium Jesu Christi, die Rubella oder Suavia, so wie die Sammlung von Oden und Epigrammen auf die kriegerischen Ereignisse in Leipzigs Nähe im Jahr 1631. Er beabsichtigte die Herausgabe von Sammlungen seiner lateinischen Gedichte, wie der deutschen, und hatte beide in großen, nach Gegenstand und Dichtungsart geordneten Abtheilungen, älteren Vorbildern folgend, vereinigt. Bei den deutschen scheint dies zum größten Theil schon früher zu Reval geschehen zu sein, weshalb später von ihm ein bunt zusammengewürfeltes Neues Buch poetischer Wälder angefügt wurde; die lateinischen aber sind erst kurz vor seinem Tode für den Druck geordnet, wie sich aus der sorgfältigeren Einschaltung der

Gedichte aus seiner letzten Lebenszeit und einigen der Widmungen zu ergeben scheint. Während seine Handschrift der deutschen Gedichte seit dem nach seinem Tode von seinem Freunde Adam Olearius besorgten Drucke verloren gieng, hat sich diejenige der lateinischen Gedichte mit einigen Ausnahmen erhalten, nunmehr in der Wolfenbüttler Bibliothek. Diese Handschrift war, nachdem Olearius die in deren Inhaltsverzeichnisse noch aufgeführten zwölf Bücher Epigramme zum Behufe des im J. 1649 erfolgten Abdruckes aus der Sammlung abgelöst hatte, dem bekannten Gottorper Regierungsrath und Bibliothekar Marquard Gude († 1689) durch den jüngeren Olearius geschenkt [1]. Sie gehörte zu den Handschriften, welche bei der im J. 1706 zu Hamburg gehaltenen Versteigerung der Gudianischen Bibliothek keinen Käufer fanden, auch nicht bei der im J. 1709 versuchten. Sie war aber unter der bedeutenden Anzahl anderer Manuscripte, welche im J. 1710 für die Wolfenbüttler Bibliothek unter der Hand um den Preis von 3000 Thlr. erstanden wurde. Sie enthält jetzt 240 beschriebene Blätter in 4. mit Einschluß einiger gedruckten. Beziffert sind sie erst, nachdem zwei Werke, nämlich außer den gedachten Libri XII Epigrammatum auch das für uns verlorne sechste Buch der Manes Glogeriani, die Suspiria, abgetrennt waren. Das Inhaltsverzeichniß der Handschrift fährt nach Aufführung jener Epigramme fort: Quibus accesserunt ex bibliotheca Flemingi: Georg. Glogeri Sil. Pœmatia, Guilielmi Pafnii Epigrammata, et Persici Regni Status, Italico idiomate. Von diesen drei Werken ist nur noch das erst genannte in dem MS.-Bande S. 222—240 vorhanden. Der Gedichte des Pafnius hat Fleming in dem Epigr. IV, 17 gedacht. Von der italienischen Schrift bemerkt Joh. Moller, welcher die Handschrift kannte, in der Cimbria literata II, 196 ausdrücklich, daß sie von einem Ungenannten verfaßt sei.

Die Sammlung beginnt mit der Widmung an den berühmten Arzt und Dichter Dr. Caspar Barlæus, welcher zu Flemings Lehrern in Leyden gehörte. Es folgen dann die neun libri Sylvarum und Bl. 119—150 ein Lib. X sive adoptivus, welches letztere von mir nicht in diesem Bande abgedruckt ist, doch mit anderen an Fleming gerichteten deutschen und lateinischen Gedichten im Anhange des folgenden Bandes den Gedichten von Flemings Freunde, G. Gloger, angeschlossen werden soll. Zum Lib. IIX »in quo Suavia« ist anstatt des Textes nur der

1) Vgl. den Catalog seiner Bibliothek. Kiel, 1706, 4. S. 555.

Nachweis gegeben, daß sie zu Leipzig gedruckt und verlegt seien von Herren Elias Rehefeld. Das Titelblatt von Lib. IX »in quo Miscellanea«, unter welchen Fleming die meisten der von ihm bereits zu Leipzig und zu Reval gedruckten lateinischen Gedichte mit Ausnahme der im Lib. VIII enthaltenen Suavia begreift, gibt folgende Notiz:

NB. pro typographo. Hierinnen gehören allerhand Carmina.

1. Auf H. Æschels Hochzeit in folio zu Leipzig gedruckt.
2. In H. Meyfarti sein Florilegium bei H. Götzen zu Leipzig.
3. Hymnus meus in natalem Domini cum appositis carminibus.
4. Varia, domi apud parentem.
5. Alia quam plurima, Revaliæ in meinen Kuffern.

Am Rande sind bemerkt: Æschelii. Schüreri. Oleario Od. Varia domi. Coena.

Nach diesem Titelblatte sind eingeheftet mit der Vorbemerkung: »Diese folgenden Carmina sind auf den Fall hergesetzet, da sie in den andern lateinischen nicht zu finden« — die unten im Lib. IX abgedruckten No. 6. S. 185; No. 5 und 4. S. 184; No. 9. 10. S. 204; No. 13. S. 212; sodann gedruckte Exemplare des Natalitium Christi (S. 154 bis 173), des Epithalamium für Hieremias Æschel (S. 205), der Tædæ Schœnburgicæ (S. 174—184), und des Propempticum für Dr. Gramann (S. 212. No. 14). Es fehlen also die Gedichte an Schürer, an Olearius, die Coena, und was im väterlichen Hause, zu Reval in den Koffern und in Meyfarti Florilegium enthalten war. Ein lateinisches Gedicht an Schürer ist, da das vorhandene Epigramm in den Manes Glogeriani VII, 20 hier nicht gemeint sein kann, uns nicht bekannt. Ebenso wenig ist eine lateinische Ode auf Olearius, vermuthlich bei dessen Verlobung gedichtet, auf uns gekommen, was um so auffallender erscheint, da Olearius dieses Manuscript selbst lange in Händen hatte. Auch ein Gedicht »Coena«, mag damit nun ein gewöhnliches Gastmal oder das h. Abendmal bezeichnet sein, hat sich allen unseren Nachforschungen entzogen. In Reval haben die Nachforschungen der Verehrer unseres Fleming die Originaldrucke einiger deutschen, doch kein uns unbekanntes lateinisches an's Licht gefördert. Die Erkundigungen nach Handschriften, welche aus Flemings väterlichem Hause in Sachsen sich erhalten haben könnten, sind vergeblich geblieben. Die Sage von Handschriften von Fleming in der dem Wohnsitze seines Vaters benachbarten Stadt Zwickau hat sich als unbegründet erwiesen.

Was unter »Meyfarti Florilegium bei Herrn Götzen zu Leip-

zig« verstanden wurde, ist durchaus dunkel [1]). Joh. **Matthäus Meyfart** aus Jena, Doctor der Theologie, Director des Lyceums zu Coburg, hernach Professor zu Erfurt, geb. 1590 [2]), gest. 1642, war der Verfasser einer 1634 zu Coburg in 8. (auch Frankfurt 1654 in 12.) gedruckten »Teutschen Rhetorica.« In diesem Buche finden sich keine Verse, welche wir dem P. Fleming zuschreiben könnten. Er selbst hatte seit 1627 eigene deutsche Gedichte herausgegeben: »das himmlische Jerusalem« [3]), auch ein »Jüngstes Gericht« und ein »Höllisches Sodoma«. Andre geistliche deutsche Gedichte von ihm haben sich in einigen Gesangbüchern erhalten [4]). Im J. 1627 veröffentlichte er sein Mellificium oratorium zu Leipzig in zwei Octavbänden, von welchem mehrfach aufgelegten Werke unter seinem und des Melchior Steinbrück Namen zu Frankfurt 1701 eine neue Ausgabe erschien. Dieses Werk beabsichtigte er in die deutsche Sprache zu übertragen, auch eine »Oratoria specialiter sic dicta« zu schreiben, sowie ein Mellificium Oratorium ecclesiasticum zu sammeln [5]).

Man würde irren, wenn man die Angabe J. Mollers in der Cimbria literata, daß der vorliegende Band autographus sei, dahin verstünde, daß derselbe von Fleming selbst geschrieben worden. Daß dies nicht der Fall ist, zeigt die Vergleichung mit der Schrift der von Fleming in das noch vorhandene Stammbuch des Olearius eingetragenen Gedichte (Sylv. IV, 4. Epigr. VI, 32). Wenn der Abschreiber der lateinischen Sprache auch nicht ganz unkundig war, so trennte er doch häufig Silben, welche zu einem Worte gehören, wie ite ratis für iteratis, me is für meis, time re für timere, are a für area. Eine andere Hand erscheint auf einigen Seiten, fol. 57[b] und 58[a], fol. 162[a]. Eine dritte findet sich fol. 86[a]. Doch kann die Flemings in einigen Correcturen erkannt werden, in welchen einzelnes Falsche durch grade,

*

1) Nach einer brieflichen Mittheilung Massmanns schrieb Fürst Ludwig von Anhalt-Köthen nach dem 20. Dec. 1619 in Betreff des Absatzes der in Köthen für die neue Lehrart gedruckten Bücher in Leipzig und Frankfurt schon von einem Buchhändler Götzen in Leipzig. — Zacharias Schürer und Matthias Götze druckten vereint in Leipzig in den zwanziger Jahren. Ist der Matthias Zacharias Götze, an den E. III, 27 gerichtet, mit diesem Buchdrucker verwandt? — 2) Grässe giebt ihm das Geburtsjahr 1608. — 3) S. über dasselbe L. Bechstein, deutsches Dichterbuch, Schottel, S. 1177. — 4) S. Rambach, christl. Anthologie II, 316. — 5) S. den Schluß des 2. Buchs der deutschen Rhetorik.

einfache Buchstaben berichtigt wird. So fol. 7ª. 7ᵇ. 39ᵇ. 44ª. 117ᵇ. 184ª. 186ª. 186ᵇ. 190ᵇ u. a.

Es ist auffallend, daß Olearius, welcher seinen Freund noch mehr als 30 Jahre überlebte, von den lateinischen Gedichten nur die Epigramme, und diese auch erst im J. 1649, nachdem kurz vorher seine eigene Reisebeschreibung im Drucke vollendet war, herausgegeben hat. Die Epigramme mögen, nicht den gehofften Beifall gefunden haben, in einer Zeit, welche sich entschieden den Dichtungen in deutscher und anderen modernen Sprachen zuneigte, vielleicht wenig verstanden, da die persönlichen Beziehungen aus den Jugend- und Universitätsjahren, den Verhältnissen zu Reval und den Ereignissen der Reise mancher Erläuterungen bedürfen, und jene noch dazu durch Überschriften und Anagramme nicht selten möglichst versteckt werden. Der Vorwurf der Dunkelheit trifft die übrigen Gedichte nur selten, doch mochte Olearius besorgen, daß manche derselben dem Ruhme seines Freundes, dessen deutsche Gedichte erst langsam die verdiente Anerkennung fanden, durch ihre Unbedeutendheit schaden könnten. Unser Standpunkt ist ein anderer. Wir erkennen den großen Werth vieler derselben an, welche den besseren deutschen völlig gleich kommen (z. B. Sylv. II, 3); in andern findet sich doch immer der Geist und die Behandlungsweise des deutschen Dichters; sie erläutern häufig die deutschen Gedichte, mit welchen sie dieselben Gegenstände behandeln: alle zeichnen uns seinen Bildungsgang und geben Stoff und Belege für seine Biographie.

Vielleicht besteht der größte Werth der lateinischen Muse Flemings in dem Einflusse, welchen sie auf die deutsche ausgeübt hat: es ist der klare Gedanke, der gedrungene, meisterhafte Ausdruck, den die Übung nach großen Mustern in diesen Eigenschaften seiner Sprache verlieh. Es war für Flemings Ruhm ungünstig, daß seine lateinischen Gedichte in den Wendepunkt des Geschmacks an denselben, vielleicht der Möglichkeit derselben fielen. H. Grotius, Owen hatten vor, D. Heinsius, in den Jugendtagen unseres Fleming gedichtet; Sarbiewsky starb an demselben Tage mit ihm; Barlæus und andere nur lateinische Dichter sind nicht weit über ihre Schulen und Kirchspiele hinaus bekannt geblieben. Zeitgenossen Flemings, welche jene neueren lateinischen Dichter noch viel zu lesen pflegten, haben sogar seine ihnen bekannten Gedichte bisweilen getadelt; was diesen Kritikern misfiel, war meistens die Latinität: sie bedachten nicht, daß die Ausdrucksweise einer todten Sprache nach den Versuchen ihrer großen

Kenner im Laufe von mehr als einem Jahrtausende sich erschöpfen mußte. Fleming hat bewunderungswürdig die hergebrachten Reminiscenzen aus den classischen Dichtern zu vermeiden gewußt; nur zufällig scheinen ihm solche begegnet zu sein. Er bereicherte seinen Sprachschatz vorzüglich aus dem Plautus, sowie aus dem Persius und dem, was von den ältesten Schriftstellern Roms auf uns gelangt ist. Wir werden erstaunen, wenn wir beachten, mit welcher Geläufigkeit der gelehrte Dichter, fern von allen literarischen Hülfsmitteln, in der Wüste und unter allem Ungemach der Reise, sein poetisches Tagebuch — denn so läßt sich der größte Theil seiner Werke bezeichnen —, in beiden Sprachen führte. Man wird ihn in dieser Beziehung weit über den zu Tomi dichtenden Römer stellen, man wird ihm gern die Vergleichung gönnen mit dem auf seinen italienischen Reisen unablässig fortdichtenden, glücklicheren größten Nachfolger unter seinen deutschen Landsleuten; man wird nur beklagen, daß ein früher Tod es verhinderte, zu zeigen, ob er den großen Camoens, dessen Lebenslauf in Europa und Asien wir gleichfalls in seinen schönen Sonnetten verzeichnet finden, nicht auch in einem Heldengedichte erreichen konnte.

Von Flemings sprachlichen und literarischen Studien geben seine Gedichte hinlängliche Belege. Leider fehlt uns ein wesentlicher Beleg für die wissenschaftlichen, wenn seine Sachkunde und Beobachtungsgabe auch häufig genug nicht nur aus seinen Gedichten zu erkennen ist, sondern selbst aus dem Reisewerke seines Gefährten Olearius durchblicken möchte. Es ist mir nicht gelungen, irgendwo die Doctordissertation des Fleming zu Gesicht zu erhalten, sogar nicht zu Leyden. J. Moller führt freilich seine Dissertatio medica inauguralis de Lue Venerea, Ludg. Bat. 1640, 4., bestimmt an, doch scheint es nicht unmöglich, daß die Dissertation bei Flemings Abreise von Leyden noch ungedruckt war und es bei seinem gleich hernach erfolgten Tode stets blieb. Allerdings kann sie, so manche neue Beobachtungen er seinen Reisen verdankt haben wird, neben seinen poetischen Werken damals noch schneller, wenn gleich mit weniger Grund, vergessen sein, als die philosophisch-medicinische Abhandlung Friedrich Schillers.

Manche Nachlässigkeiten in Sprache und Metrik sowie Undeutlichkeiten sind in seinen Gedichten gewiß zu tadeln. Doch ist wol anzunehmen, daß er vielen derselben bei dem beabsichtigten Drucke abgeholfen hätte. Im Allgemeinen wird man in denselben viele schöne Gedanken in kunstgerechtem metrischem Ausdruck finden. Seine häu-

figen sinnreichen Oxymora, selbst die unübertroffenen Anagramme (z. B. Timotheus Schwirseus: sum tuus, o Jesu Christe, Epigr. VII, 19. X, 20) bekunden eine eigenthümliche Gewandtheit.

In dem Abdrucke der Gedichte bin ich ganz dem Wolfenbüttler Manuscript gefolgt und den demselben eingeschalteten oder nachgewiesenen ersten Drucken. Wo das Ms. von einem vorhandenen Drucke abwich, ist jede nicht lediglich auf einem Schreibfehler beruhende Abweichung stets bemerkt, ebenso wenn eine Verbesserung erforderlich schien. Zu den Manes Glogeriani mußten besonders noch die Epigramme verglichen werden, unter welche manche der in jenen enthaltenen Gedichte mit nicht ganz unwesentlichen Abweichungen aufgenommen sind.

Von den Epigrammen habe ich in deren Sammlung diejenigen nicht wieder abgedruckt, sondern lediglich unter der gehörigen chronologischen Anordnung nachgewiesen, welche sich schon in der augenscheinlich älteren Sammlung der Manes Glogeriani fanden; zu diesen aber die abweichenden Lesarten und Berichtigungen der Epigramme hinzugefügt. Da die letzteren in der Wolfenbüttler Hs. fehlen, so läßt sich nicht mit Bestimmtheit nachweisen, wie die Wiederholung derselben Gedichte entstanden ist. Die Abänderungen sind jedoch zu bedeutend, als daß wir sie dem Olearius zuschreiben dürften. Wahrscheinlich ist es, daß Fleming die dem Andenken an seinen verstorbenen Freund G. Gloger gewidmeten Gedichte später mehr auf ihren eigentlichen Inhalt beschränken wollte und andere, welche in der Zeit des Verkehrs mit ihm entstanden waren, in die Sammlung der Sinngedichte hineinzog. Unserem Zwecke schien es aber angemessener, das ursprünglich Zusammengehörige bei einander zu lassen.

Bei dem Charakter und der Entstehung der meisten Gedichte Flemings ist es nicht nur für ihre Würdigung, sondern auch für ihr Verständniß häufig unerläßlich, die Zeit ihrer Abfassung zu kennen. Diese läßt sich aus einer genauen Kunde seines bunten Lebensganges, besonders aber der Aufzeichnungen des Olearius über die Reise nach Rußland und Persien in der Regel mit vieler Wahrscheinlichkeit, in den meisten Fällen sogar mit großer Genauigkeit und Sicherheit feststellen. Es ist daher besonders störend, bei diesen Gedichten, sowol den lateinischen als noch mehr bei den deutschen, daß sie von den früheren Ordnern und Herausgebern so durchaus unchronologisch durcheinander gewürfelt sind. Es wäre möglich gewesen, die sämmtlichen poetischen

Werke Flemings in der muthmaßlichen Ordnung ihrer Entstehungszeit abzudrucken; doch hätten dann die Gedichte in beiden Sprachen unter einander gedruckt werden müssen, und selbst wenn nur die Scheidung nach der Sprache beibehalten wäre, so würden doch sehr verschiedenartige Gegenstände aneinander gereiht sein, was der Mehrzahl der Leser unbehaglich gewesen sein dürfte. Ich habe mich daher darauf beschränkt, bei den lateinischen Gedichten den vom Dichter selbst beabsichtigten Plan rücksichtlich der Eintheilung in Bücher beizubehalten, jedoch in jedem einzelnen derselben, sowie in den angehängten Listen der verlorenen Epigramme eine möglichst genaue chronologische Reihenfolge herzustellen. In den Anmerkungen ist jedoch die alte Reihenfolge in der Handschrift, sowie in dem Drucke der Epigramme, denen ich die dort fehlenden Nummern beigefügt habe, von mir nachgewiesen. Die Daten und arabischen Ziffern vor den Gedichten sind von mir hinzugesetzt, die in römischen vor oder am Schlusse derselben sind aus der Handschrift oder den alten Drucken.

Anmerkungen zu den Gedichten durften wegen der geschichtlichen Beziehungen auf so viele längst verschollene Personen nicht fehlen. Sie sind jedoch gleich denen über die bekannteren stets kurz gehalten, und in beiden Fällen ist nur dasjenige hervorgehoben, was zum Verständniß und zur Zeitbestimmung des vorliegenden Gedichtes erforderlich schien. Das Weitere über Flemings nähere Freunde, denen die deutschen Gedichte mehr noch als die lateinischen angehören, wird die Lebensbeschreibung im folgenden Bande enthalten. Dieser wird auch die betreffende Bibliographie angehängt werden, sowie ein allgemeines Personenregiester über beide Sammlungen.

Der Druck dieser Sammlung ist durch mancherlei Hindernisse verzögert, von denen die bedeutendsten auf die Schwäche meiner Augen zurückgeführt werden mögen. Die Nothwendigkeit, in welche ich dadurch gesetzt bin, nicht ohne eine sachkundige Hülfe meine vor Jahren begonnenen literarischen Arbeiten fortzusetzen, ist bei dem Wechsel der Persönlichkeiten, besonders durch die Umstellung der Gedichte und deren Nachwirkung in den Erläuterungen der Gedichte lästig geworden. Hoffentlich findet der Leser in denselben hinlänglichen Ersatz für andere Mängel, sowie die etwas erhebliche Zahl der bereits entdeckten Druckfehler.

ANMERKUNGEN ZU EINZELNEN STELLEN.

Erklärung der Abkürzungen: Sy. = Sylvæ, M. = Manes, E. = Epigrammata, Dep. = Deperdita, P. W. = Poetische Wälder, Üb. = Überschriften, Od. = Oden, So. = Sonnette, Ol. = Olearius Reisebeschreibung 1647.

Widmung der Sammlung (in der Wolfenb. Hs. Bl. 1).

Caspar Barlæus, dem Fl. seine lateinischen Gedichte widmete, geb. 1584 zu Antwerpen, zuerst Prediger und Professor der Logik zu Leyden, als Arminianer entsetzt und zur Medicin übergegangen, lehrte später wieder Philosophie zu Leiden und Amsterdam, wo er im Jahr 1648 verstarb. Seine Poëmata füllen zwei Bände, 1628. 1631, von denen eine neue Ausgabe Sy. V, 12 im Jahr 1639, Nov. besungen wird, deren vierte schon 1645. 1646 erschienen war. Auf deren ersten Theil, die Heroica, bezieht sich E. X, 44. Schon 1631 Febr. nennt ihn das Natalitium Sy. IX, 2, 19 grandiloquus. Die Widmung fällt 1639—1640.

Sylvarum l. I., in quo Hexametri (Hs. S. 3a—11b).

Die Eintheilung der Gedichte in Silvæ stammt schon von Statius her, dem darin außer unserem Fleming Hugo Grotius (Sylvarum l. III), Joseph Scaliger (Sylva variorum carminum), Joannes Dousa (Sylvarum libri duo, Antw. 1569), H. Junius (Sylva carminum, Lugd. 1576) und Johannes Secundus (Sylvarum liber), J. Balde (sylvæ lyricæ), Nicolaus Borbonius (Sylvula), Georg Buchanan (Sylvarum liber, s. Poëmata, Lugdun. 1628) folgen. Sylva ist gleich dem griechischen ὕλη eine Bezeichnung für eine buntscheckige Sammlung, eine verworrene kunstlose Masse geworden, in einem Sinne, welchen das deutsche Wald nicht hat. Daher erscheinen Opitzens und darnach Flemings poetische Wälder, wobei an das Naturwüchsige im Gegensatze zur Kunst durchaus nicht gedacht ist, übertragen, und diese Bezeichnung ist auch auf Sammlungen wissenschaftlicher Art, wie die Altdeutschen Wälder der Brüder Grimm, angewandt. Wie Fl. als Sylvarum l. V Hipponax und im l. IX als Nr. 1 Aræ, unter den Manes als l. VI und VII Lacrymæ und Tumuli, ferner unter den Epigrammen als l. II Sidera hat, so theilte auch Jul. Cæs. Scaliger seine Poëmata in Hipponax, Sidera, Lacryma, Tumulus, Manes und Aræ u. s. w.

Widmung (Hs. S. 3b).

Cunradus Bavarus (germano et proprio nomine hic est Cunrad Bayer, bemerkt Gudius im Mscr.) in Halle 1571 geboren, schrieb 1609 das carmen auf das Jubelfest der Leipziger Universität, war 1611 Rektor derselben (s. Tobias Heydenreichs Leipzigische Cronicke, 1635, im Index Rectorum), früher Prof. *poeseos, seit* 1630 auch græcæ et latinæ linguæ, † im Jahr 1643. Eine Ode von

ihm steht vor Heydenreichs eben angeführter Chronik. Fl. besingt ihn E. IV, 9, erwähnt ihn Sy. I, 5, 55 im Jahr 1633 als Phœbus Stellvertreter, und widmet ihm, dem Greise, veteri observantiæ testandæ dieses Buch noch im Jahr 1640.

1—3. (Hs. S. 4a—6a) Diese drei Gedichte, die unter einander sehr ähnlich sind, gehören gewiß Flemings frühester Dichtung an. Alle sind lehrhaft, die beiden ersten behandeln lateinische Sprichwörter. Als Muster, dem er jedoch nirgend sklavisch nachfolgt, schwebt dem Dichter wol Horaz vor. Er scheut sich nicht vor ganz neuen Wortbildungen wie radiascere 3, 22; die ungewöhnlicheren Hauptwörter orsum und orsus hat er 1, 3 und 30, ausum und ausus 1, 16 und 3, 17, wie in den Suaviis vom Jahre 1631, s. Sy. VIII, Ad Gen. Douzae 34. 46. Suav. 10, 9; das seltenere Adjectiv fluxus 1, 18 und 2, 19 wie M. IV, 29, 8. An letzter Stelle bemerke man 3, 18. 20. 21 die gleichförmigen Bilder. Der Titel von Nr. 3 und der unbeholfene Ausdruck könnten dieses noch als eine Schulübung erscheinen lassen, wozu der am Schlusse auch den Scholarchen ausgesprochene Dank stimmen würde.

